INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA


GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

ANNI MDCCCLII—III. 1852/53

A DIE XV. OCTOBRIS AD D. XV. MARTII

HABENDARUM.



C. F. Hermann

Praemissa est disputatio de Thrasyllo grammatico et mathematico.

GOTTINGAE
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
H. CAROL. BRIEGLEB D.
CUM SENATU.

Platonis dialogos a novissimo editore ad Thrasylli tetralogias revocatos esse valde nuper doctus quidam censor miratus est; cujus nos judicium eo magis miramur, quo modestius illum editorem egisse arbitramur, qui non suam qualemcunque dispositionem, quamvis aliis ipsique censori probatam, sed eam lectoribus offerre maluerit, quam et optimi codices presse sequerentur et veteres eruditos notissimam habuisse probabile esset. Nimirum nos in antiquis libris disponendis temporum plerumque ordinem sequimur, neque injuria, quia historicis maxime rationibus ad illos cognoscendos ducimur; veteres, quibus aut voluptatis aut doctrinae potior ratio erat, prorsus diversis illos gradibus adibant; quorum etsi nos passim ne assequi quidem, nedum amplecti causas possimus, ipsi tamen historicae fidei hoc debere videmur, ne veteris traditionis memoriam deleamus, quam nemo praevideat quo damno olim fortasse desideraturi simus. Sed haec nunc verbo significasse sufficiat; de ipso autem Thrasyllo quoniam mentio injecta est, vobis, Commilitones, quorum multos nunc primum id nomen audire suspicamur, per hujus praefationis opportunitatem aliquanto plura narrare eo magis aptum videtur, quo minorem adhuc eorum, qui ejus res tractarunt [1]), in singulis aut consensum aut intellectum erroribus vacuum deprehendimus; quorum etsi diligentia id perfectum est, ut reliquias et testimonia veterum, quae ad eum pertinent, plene cumulateque collecta habeamus, de his ipsis tamen subinde aliter judicandum esse arbitramur.

Et primum quidem de ipsa nominis forma haud scimus an minus caute Boeckhius [2]) quique hunc secuti sunt [3]) vel Platonis diasceuasten vel quoscunque hic praeterea cognomines habuit [4]) triplici specie et *Θρασύλον* et *Θράσυλλον* et *Θρασύλαον* appellari potuisse crediderint; quae formae licet in codicibus promiscue exstent, his tamen summo jure occini censemus, quod simili in causa quamvis alieno loco Godofr. Hermannus [5]) elocutus est: *so muss ein Schreibfehler eine Unmöglichkeit möglich machen!* Scilicet ille etiam *Χαρίλαον* et *Χάριλλον* ejusdem hominis nomen fuisse

---

1) Meurs. Opp. ed. Lam. T. VI, p, 447; Voss. Histor. gr. II. 6, p. 479; Fabric. Bibl. gr. IV. 22. 1; Sevin in Mém. de l'A. d. Inscr. 1732 T. X, p. 89—97; Hepke de philosophis, qui Romae docuerunt, Berl. 1842. 8, p. 56; Mullach ad Democr. fragm. p. 95—106; Müller Histor. gr. fragm. T. III, p. 501—504; Martin. ad Theon. Smyrn. de Astron. p. 69—72. — 2) C. Inscr. T. I, p. 887. — 3) Keil Spec. onomat. gr. p. 68; Baehr. ad Herod. VI. 114. — 4) Plurimos enumerat Jonsius Script. hist. philos. p. 224; adde Teuffel. Realencycl. T. VI, p. 1903. — 5) Ueber Hrn. Prof. Boeckhs Behandlung d. griech. Inschriften p. 60.

negavit; quod exemplorum nube et Boeckhius et Ebertus [6]) merito refutarunt; at enim eundem etiam *Χαρίλον* dici potuisse non magis credimus quam pro *Χοιρίλῳ* unquam *Χοιρίλαον* admittemus [7]), nedum ad nomina in *υλος* exeuntia hoc extendamus, quibus summum quod concedi potest hoc erit, formam *Θράσυλλος* parem ex *Θρασύλος* et ex *Θρασύλαος* originem recipere, non tamen ut ideo etiam qui *Θρασύλος* esset *Θρασύλαος* vel contra nominari solitus sit. Mittimus grammaticos, qui ipsum *Θρασύλλου* nomen pro *Θρασικλεῖ* potius, ut *Ἥρυλλον* pro *Ἡρακλεῖ*, *Βάθυλλον* pro *Βαθυκλεῖ*, *Ἀρίστυλλον* pro *Ἀριστοκλεῖ* dictum esse docent [8]); sed hos quoque simplici liquida vix scripseris; qua si quae nomina utuntur, ex formis in *ων* potius derivanda erunt, ut *Κράτων Κρατύλος*, *Σίμων Σιμύλος*, *Δήμων Δημύλος*, nec si hae quoque formae λ passim duplicant, ut *Κράτυλλος* [9]), *Δέρκυλλος* [10]), *Δίυλλος*, aliique multi [11]), cum his ideo *Κρατυκλῆν* vel *Δερκύλαον* aliquem permutare aut confundere licebit. Atqui Thrasyllum nostrum etsi recte liquidam duplicare Juvenalis versus Sat. VI. 596 probat, Themistii tamen et Diogenis Laertii editores novissimi inter Graecos potius *Θρασύλον* habitum esse statuerunt; quod si maxime alios cognomines, in quibus nunquam simplex apparet, ad *Θρασύλαον* vel *Θρασυκλῆν* revocari patimur [12]), a nostro certe, sive simplici sive geminata litera, compositam nominis formam plane alienam habebimus.

Gravior etiam de patria hominis controversia est, quem alii, Plutarcho auctore usi [13]), Phliasium, alii ejusdem, si diis placet, libellum secuti [14]), Mendesium Aegyptium faciunt; nos vero neutrum oppidum pro explorato habemus. Plutarchum enim sive vero nomine sive ficticium, certe diversum a Chaeronensi, in libro de fluviis quos laudat testes pro arbitrio finxisse quum alii dudum tum novissime Hercherus in docta illius editione [15]) tam liquido probavit, ut plane operam perdat, qui aliquid inde ad veterum scriptorum cognitionem lucrari speret; nec Stobaei major in hoc genere auctoritas est, qui quae ex Thrasylli Aegyptiacis affert, ad verbum ex libello de fluviis descripsit [16]); quod si nec ipsum Mendesium Thrasyllum nec libros ejus *περὶ λίθων*, *Αἰγυπτιακῶν*, *Θρᾳκικῶν* [17]) apud

---

6) *Σικελ.* Regim. 1830. 8, p. 91 sqq. — 7) Cautius haec tractat etiam Lobeck. Pathol. serm. graeci p. 118 sqq. — 8) Etymol. M. p. 142. 58; Eustath. ad Iliad. XIV. 324. — 9) C. Inscr. T. I, p. 292. — 10) Zeitschr. f. d. Alterth. 1841, p. 163. — 11) Bast. Epist. crit. p. 243; Lobeck. l. c. p. 128. 137. — 12) Sic qui Ath. XII. 81 *Θρασύλαος*, Ael. V. H. IV. 25 *Θράσυλλος* est; nec repugnamus quominus idem in alios cadat, quibus Schömannus ad Isaeum p. 355 geminam literam vindicat; imperator tamen Atticus apud Xenophontem simplicem retinet; cf. Osann Syll. Inscr. p. 144. — 13) Plut. de Musica c. 21: *ὁ αὐτὸς δὲ λόγος καὶ περὶ Τυρταίου τε τοῦ Μαντινέως καὶ Ἀνδρέα τοῦ Κορινθίου καὶ Θρασύλλου τοῦ Φλιασίου καὶ ἑτέρων πολλῶν, οὓς πάντας ἴσμεν διὰ προαίρεσιν ἀπεσχημένους χρώματός τε καὶ μεταβολῆς καὶ πολυχορδίας καὶ ἄλλων πολλῶν ἐν μέσῳ ὄντων ῥυθμῶν τε καὶ ἁρμονιῶν καὶ λέξεων καὶ μελοποιΐας καὶ ἑρμηνείας*: quem locum post Jonsium maxime Sevinus et Martinus ad nostrum retulerunt. — 14) De fluviis XI. 4: *καθὼς ἱστορεῖ Θράσυλλος Μενδήσιος ἐν γ' περὶ λίθων*. — 15) Lips. 1851. 8, p. 17; astipulante etiam Baehrio in N. Jahrbb. T. LXIII, p. 126. — 16) Serm. C. 16. — 17) Si modo haec ipse auctor Thrasyllo tribui voluit; sive enim cum libris *Τραγικοῖς*, sive cum Reinesio et Westermanno *Θρᾳκικοῖς* scripseris, alius potius scriptoris nomen excidisse scite Hercherus suspicatur.

quenquam alium auctorem memoratos legimus, hoc solo testimonio omnium sublestissimo ad nostrum vel patria vel librorum genere locupletandum abuti merito dubitabimus. Immo ne is quidem Thrasyllus, quem plerique proxima cum Plutarchi Mendesio cognatione junxerunt, quo Plinius in Naturalis historiae libris nonnullis auctore utitur, num idem qui Platonis diasceuastes habendus sit, pro certo existimes; pervulgatum enim id nomen fuisse multis exemplis constat; sin maxime idem fuit, nec Mendesius Plinio appellatur, nec argumento quicquam cum Mendesianis illis commune est, quod, ubicunque illum Plinius memorat [18]), intra aquatilium naturam resque marinas subsistit. Phliasius autem, cujus verus Plutarchus Chaeronensis in libro de Musica meminit, inter scriptores locum omnino non habet, sed tibicen est; cui licet hoc cum Platone commune fuerit, ut varios illos musicae artis abusus, quos ille in Reipublicae Legumque libris reprehendit [19]), pariter sperneret, inter philosophos tamen referri non magis debet, quam Telephanes Megarensis, quem eodem temperamento usum esse ibidem legimus; utque hunc Demosthenis aequalem fuisse certum est [20]), ita et reliquos, quorum Plutarchus temperantiam et sobrietatem laudat, Tyrtaeum Mantinensem, Andream Corinthium, Thrasyllum Phliasium, haud scimus an antiquior sibi aetas vindicet, quam qua Platonis diasceuastes vixit. Hunc enim Caesaris Augusti aequalem mox cognoscemus; eo vero tempore Mantinenses omnino nulli fuerunt, sed Antigonenses, quod nomen a Macedoniae rege acceptum ad Hadriani usque aetatem illud oppidum retinuisse traditur [21]); quod si totus Plutarcheae disputationis tenor Thrasylli Phliasii memoriam a Tyrtaeo Mantinensi longiore intervallo dirimi vetat [22]), etiam propter hanc causam Platonico nostro Phliuntem patriam concedere prohibemur.

Huic igitur si qua urbs natalis probabiliter tribuenda est, sola Rhodus praesto est, ubi eum in Tiberii Caesaris notitiam venisse moxque in contubernium et intimam familiaritatem receptum esse unanima veterum testimonia tradunt. Tiberius enim quum sub honesta specie ex urbe relegatus Rhodi degebat [23]), de futuri temporis fortuna sollicitus interque spem et metum anceps cogitationum suarum arcana cum nullo magis quam cum Thrasyllo communicasse fertur, quem vetus grammaticus [24]) *multarum artium scientiam professum postremo se Platonicae sectae ac deinde mathesi*

---

18) Quod unum Plinius XXXII. 5. 19 ex ipso Thrasyllo nominatim profert, cur cum Müllero ad scriptum de remediis magicis referamus, nulla causa est; sufficit aquatilium natura, inter cujus auctores illum librorum IX. XXXI. XXXII praescriptiones exhibent; nec in secundo libro desunt ad mare pertinentia, quae ex eodem forte hauriri potuerint. — 19) Cf. Legg. II, p. 670, III, p. 700, inque primis Republ. III, p. 399, ubi quod ipsa tibia πολυχορδότατον appellatur, Poll. Onom. IV. 67 testimonio suo confirmat. — 20) Cf. Mid. p. 520 et Jacobs. ad Anthol. gr. T. II, P. 3, p. 46, qui recte monet eundem esse quem Pausan. I. 42 Samo oriundum Megaris sepultum esse tradit. — 21) Plut. V. Arat. c. 45, Paus. VIII. 8; cf. Curtius Peloponn. T. I, p. 268. — 22) Intellexit hoc etiam Sevinoque opposuit Burette in Mém. d. l'A. d. Inscr. T. XIII, p. 287, quamvis insigniter in eo lapsus, quod Tyrtaeum Mantinensem cum celebri Aphidnaeo, Spartanae militiae vate, confudit. — 23) Cf. Hoeck röm. Gesch. T. I, P. 2, p. 37. 58. — 24) Schol. Juven. VI. 576.

hoc est astrologiae tradidisse narrat; quo in genere quum experimento verax a Tiberio inventus esset, Romam quoque revocatum prosecutus est [25]) ibique et vivo et mortuo Augusto tanta apud successorem gratia valuit, ut Themistius utriusque consuetudinem cum ea necessitudine comparaverit, qua ipse Augustus cum Areo Alexandrino, posteriusque Trajanus cum Dione Chrysostomo, Antonini cum Epicteto, M. Aurelius cum Sexto Chaeronensi juncti fuerint [26]). Unum, si tanti est, ambigendum relinquitur, quomodo Tacitum [27]) et Suetonium [28]) conciliemus, quorum alter insidiis primum a Tiberio tentatum his ipsis felici conjectura praesagiendis fidem hujus meruisse narrat, alterum vero si sequimur, tum demum in vitae discrimen adductus est, quum Tiberii impatientia praedictiones ejus irritas cecidisse arbitraretur; quorum etsi utriusque auctoritatem ita conjungere licet, ut cum Dione Cassio [29]) iteratis experimentis probatum Tiberii suspiciones superasse statuamus, nobis tamen Suetonii simplicitas adeo potior videtur, ut hoc tantum pro certo habeamus, Tiberium, cui identidem Thrasyllus reditum et prospera omnia promisisset, diuturna spe frustratum in eo fuisse, ut consiliorum suorum conscium, quocum in edita domus parte spatiabatur, in mare proturbaret, nisi is eodem temporis articulo navem monstrasset, quae redeundi veniam Tiberio attulit. Quam vero scholiasta Juvenalis Thrasylli hunc dolum praesentientis fugam narrat [30]), non magis vera est, quam quod aut Jonsius [31]) nescio unde

---

25) Dio Cass. LVII. 15. — 26) Themist. Orat. V, p. 76; XI, p. 173; XXXIV, p. 451 Dind. Illud modo nimium, quod Augustum quoque Thrasyllum perinde ac Areum secum duxisse narrat VIII, p. 129, *ἵνα πρὸς τὰ ἔργα τῆς ἀρετῆς παρορμῶσι*: moralem enim doctrinam professum esse nusquam legimus. — 27) Ann. VI. 20: *scientia Chaldaeorum artis, cujus apiscendae etiam apud Rhodum magistrum Thrasyllum habuit, peritiam ejus hoc modo expertus: quotiens super tali negotio consultaret, edita domus parte ac liberti unius conscientia utebatur; is literarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta praeibat eum, cujus artem experiri Tiberius statuisset, et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subjectum mare praecipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasyllus iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat, imperium ipsi et futura sollerter patefaciens, interrogatur, an suam quoque genitalem horam comperisset; quem tum annum, qualem diem haberet? Ille positus siderum ac spatia dimensus haerere primo, dein pavescere, et quantum interspiceret magis ac magis trepidus admirationis et metus, postremo exclamat, ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare; tum complexus eum Tiberius praescium periculorum et incolumem fore gratatur, quaeque dixerat oracli vice accipiens inter intimos amicorum tenet.* — 28) Sueton. V. Tiber. c. 14: *Thrasyllum quoque mathematicum, quem ut sapientiae professorem contubernio admoverat, tum maxime expertus est affirmantem, nave provisa gaudium afferri; quum quidem illum, durius et contra praedicta cadentibus rebus, ut falsum et secretorum temere conscium, eo ipso momento, dum spatiatur una, praecipitare in mare destinasset.* — 29) Dio Cass. LV. 11: *αὐτός τε γὰρ ἐμπειρότατος τῆς διὰ τῶν ἄστρων μαντικῆς ὢν καὶ Θράσυλλον ἄνδρα πάσης ἀστρολογίας διαπεφυκότα ἔχων, πάντα καὶ τὰ ἑαυτῷ καὶ τὰ ἐκείνοις πεπρωμένα ἀκριβῶς ἠπίστατο· καὶ λόγος ἔχει, ὅτι μελλήσας ποτὲ ἐν τῇ Ῥόδῳ τὸν Θράσυλλον ἀπὸ τοῦ τείχους, ἐπεὶ μόνος αὐτῷ πάνθ' ὅσα ἐνενόει συνῄδει, ὤσειν, ὡς εἶδεν αὐτὸν σκυθρωπάσαντα, ἤρετο διὰ τί συννένοφεν, εἰπόντος δὲ κίνδυνόν τινα ὑποπτεύειν, θαυμάσας οὐκέτ' αὐτὸ ἐποίησεν. οὕτω γάρ που πάντα ἐκεῖνος σαφῶς ᾔδει, ὥστε καὶ τὸ πλοῖον τὸ τὴν ἀγγελίαν τῷ Τιβερίῳ τῆς εἰς Ῥώμην ἀνακομιδῆς παρά τε τῆς μητρὸς καὶ παρὰ τοῦ Αὐγούστου φέρον πόρρωθεν κατιδὼν προσπλέον προειπεῖν αὐτῷ ὃ ἀγγέλλειν ἔμελλεν.* Prius est etiam in Cramer. Anecd. Par. T. II, p. 277. — 30) L. c. p. 270:

interemtum a Tiberio aut hunc refutans Mullachius [32]) superstitem illi fuisse scribit; immo claris verbis legimus [33]) eum quotidiana imperatoris consuetudine usum proximo ante hujus obitum anno Tauro et Libone Coss. debitum naturae solvisse, postquam fatalem horam accuratissima diligentia ipse praefinierit. Tiberium tantum in hoc fefellisse traditur, ut ille, cui decennio ampliorem vitam promisisset, multorum hominum supplicia, quos occidere destinasset, procrastinaret [34]); quos inter ipsum Cajum Caesarem, qui Tiberio successit, ita servavit, ut non magis imperaturum quam per sinum Bajanum equis discursurum esse affirmaret [35]); eaque ipsa humanitatis et misericordiae artificia commentarii illi prodidisse videntur, quibus post mortem relictis eum effecisse Julianus testatur, ut infamiam evitaret, quam alioquin ex crudelissimi principis contubernio certissimam relaturus fuerit [36]).

Atque haec externa hominis fortuna fuit, quem si jam proximis p. Chr. n. annis doctrinae copia Tiberio commendatum esse, vitam autem a. 36 deposuisse legimus, non nimis a vero aberrare videbimur, si circa a. 40 a. Chr. natum esse conjicimus; de studiorum autem professionisque genere ipsa veterum testimoniorum vestigia secuti nihil probabilius statuere poterimus, quam initio grammaticum fuisse ac deinde demum ex grammatica philosophicorum librorum tractatione ad mathematicas et musicas disciplinas traductum esse. Neque enim statim a principio Platonicum fuisse claris verbis Schol. Juven. not. 30 tradidit; quam autem hic *multarum artium scientiam* praemittit, haud scimus an non complecti modo grammaticam sed totam grammatica disciplina contineri jure nostro suspicemur, cujus studiosissimus quisque inter veteres *multiplici variaque doctrina censebatur* [37]); denique grammaticum etiam tum habitum esse, postquam in Tiberii comitatu Romam venisset, fabella apud Suetonium servata manifesto prodit [38]). Nimirum Augustus quum ex triclinio animadvertisset Masgabae, quem insulae Capreis vicinae conditorem appellare consuesset, tumulum magna

---

Thrasyllus multarum artium scientiam professus postremo se dedit Platonicae sectae et deinde mathesi; in qua praecipue viguit apud Tiberium, cum quo sub honore ejusdem artis familiariter vixit. Quem postea Tiberius in insula Rodo praecipitare voluit in pelagum, quasi conscium promissae dominationis; quem dolum quum praesensit, fugit. — 31) Script. hist. philos. p. 224. — 32) Democr. p. 95. — 33) Dio Cass. LVIII. 27: *τότε μὲν γὰρ ὁ Θράσυλλος, τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἦρι ἐκεῖνος ἐπί τε Γναίου Πρόκλου καὶ ἐπὶ Ποντίου Νιγρίνου ὑπάτων ἐτελεύτησε.* — 34) Sueton. V. Tib. c. 62: *nisi eum et mors praevenisset et Thrasyllus consulto ut ajunt differre quaedam spe longioris vitae compulisset, plures aliquanto necaturus*; cf. Dion. Cass. LVIII. 27, quocum dissentire Suetonium, quod censet Hoeckius P. 3, p. 190, non video. — 35) Sueton. V. Caji c. 19. — 36) Julian. ad Themist. p. 265: *Θράσυλλος Τιβερίῳ πικρῷ καὶ φύσει χαλεπῷ τυράννῳ συγγενόμενος, εἰ μὴ διὰ τῶν καταλειφθέντων ὑπ᾽ αὐτοῦ λόγων ἀπελογίσατο, δείξας ὅστις ἦν, ὤφειλεν ἂν εἰς τέλος αἰσχύνην ἀναπάλλακτον.* — 37) Sueton. ill. Gramm. c. 4; cf. Cic. Orat. I. 3: *quis huic studio literarum, quod profitentur ii qui grammatici vocantur, penitus se dedidit, quin omnem illarum artium paene infinitam vim et materiam scientia et cogitatione comprehenderet?* Quinct. Inst. orat. II. 1. 4: *grammatica tenuis a fonte, assumtis poetarum historicorumque viribus, pleno jam satis alveo fluit, quum praeter rationem recte loquendi prope omnium maximarum artium scientiam complexa sit*; pluraque apud Wower. de Polym. p. 150 sqq. et Krebs. Opusc. p. 202 sqq. — 38) Sueton. V. Oct. c. 98.

turba multisque luminibus frequentari, versum ex tempore compositum clare pronunciavit, conversusque ad Thrasyllum Tiberii comitem contra accubantem interrogavit, cujusnam poëtae putaret esse; quo haesitante subjecit alium, de hoc quoque consuluit, quumque ille nihil aliud responderet, quam, cujuscunque essent, optimos esse, cachinnum sustulit atque in jocos effusus est; atqui tales quaestiones solvere grammaticorum potissimum erat [39]; unde ne Augustus quidem alio eum loco existimasse videtur. Eodemque, ni fallimur, Democriteorum librorum dispositio pertinet, qua non minus clarus quam Platonicorum apud veteres fuit [40]; qui quum et multiplicium argumentorum varietate et sermonis elegantia pariter excellerent [41]), eodem modo, quo olim Callimachi in se studia converterant [42]), etiam nunc grammaticum hominem allicere dignique videri poterant, quos et per genera classesque digereret et praefatione quadam res ad illorum intellectum necessarias comprehenderet [43]). Ex Platonicae enim disciplinae curriculis profectum vix probabile est quenquam tantam Democrito operam impensurum fuisse; quem jam veteres animadverterunt Platoni adeo perosum fuisse videri, ut inter omnes antecedentis aetatis philosophos solum illum nusquam in scriptis suis memoraverit [44]), neque ipsi Thrasyllo successit, ut illius personam quamvis nomine carentem in Platonis dialogo aliquo investigaret [45]); quicquid igitur ad Democritum illustrandum contulit, ad priora vitae ejus tempora rejicimus, quibus ipsum Platonem primum noscere coepit; iisdemque etiam chronographicum illud fragmentum attribuimus [46]), cujus insignem cum Democriti aetatis definitione Thrasyllea concentum acute Carolus Müllerus aperuit [47]), nisi quod hic ex ficticiis Mendesii

---

39) Sueton. Ill. gramm. c. 11; cf. V. Tiber. c. 56. 70, Senec. brev. vitae c. 13, Juv. Sat. VII. 229, Gell. N. A. XIV. 6, inque primis quae Athenaeus I. 2 aliisque locis de ea grammaticorum solertia tradidit, qua nihil audiebant quin quaererent *κεῖται ἢ οὐ κεῖται* vel *ποῦ κεῖται*; — 40) Cf. tabulam apud Mullach. p. 105 secundum Diog. L. IX. 45—49 dispositam; qui quod *τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ*, inquit, *καὶ Θράσυλλος ἀναγέγραφε κατὰ τάξιν οὕτως ὡσπερεὶ καὶ τὰ Πλάτωνος κατὰ τετραλογίαν*, non post Platonem ad Democritum accessisse innuit, sed suum tantum lectorem ad ea remittit, quae superius de Platonis scriptis dicta erant. — 41) Cic. Orat. I. 11, Orator. c. 20; Dionys. Hal. Compos. voc. c. 24. — 42) *Πίναξ τῶν Δημοκρίτου καὶ γλωσσῶν σύνταγμα* inter Callimachi libros apud Suidam est; cf. Hecker Comm. Callim. p. 3, cujus lectionem in loco corrupto secuti sumus. — 43) Diog. L. IX. 41: *Θράσυλλος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ τὰ πρὸ τῆς ἀναγνώσεως τῶν Δημοκρίτου βιβλίων.* — 44) Diog. L. III. 56, IX. 40; cf. Brandis Gesch. d. Philos. T. 1, p. 300 nostraque Gesch. d. platon. Phil. T. I, p. 152 sqq. Mullachii excusationem p. 108 sqq. aegre admittimus; multo tamen etiam minus censori illius Steinharto in Allg. Lit. Zeit. 1844 Sept. p. 636 credimus Platonem Democriti libros omnino non legisse! — 45) Diog. L. IX. 37: *εἴπερ οἱ Ἀντερασταὶ Πλάτωνός εἰσι, φησὶ Θράσυλλος, οὗτος ἂν εἴη ὁ παραγενόμενος ἀνώνυμος . . . ᾧ ὡς πεντάθλῳ ἔοικεν ὁ φιλόσοφος· καὶ γὰρ ἦν ὡς ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ πένταθλος*: cf. Mullach. p. 55. — 46) Clem. Alex. Stromat. I, p. 335: *ἀπὸ δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τὸν Ἴδης ἐμπρησμὸν καὶ τὴν εὕρεσιν τοῦ σιδήρου καὶ Ἰδαίους Δακτύλους ἔτη ἑβδομήκοντα τρία, ὥς φησι Θράσυλλος*, et quae sequuntur usque ad verba: *ἀπὸ δὲ Τροίας ἁλώσεως ἐπὶ τὴν Αἰνείου κάθοδον καὶ κτίσιν Λαουινίου ἔτη δέκα, ἐπὶ τὴν Ἀσκανίου ἀρχὴν ἔτη ὀκτώ, καὶ ἐπὶ τὴν Ἡρακλειδῶν κάθοδον ἔτη ἑξήκοντα ἕν, ἐπί τε τὴν Ἰφίτου ὀλυμπιάδα ἔτη τλή*: quae omnia recte Müllerum Thrasyllo continuasse arbitramur; romanae enim aetatis scriptorem Lavinii et Ascanii mentio clare prodit. — 47) Histor. fragm. T. III, p. 504; cf. T. II, p. 25 nosque de philos. Ionic. aetat. Gott. 1849. 4.

Aegyptiacis petitum credit, quod nos multo ut nobis videmur commodius ad illum ipsum locum pertinuisse suspicamur, ubi Thrasyllus temporum notationem a Democrito in *μικρῷ διακόσμῳ* significatam[48]) enarraverat. Illud tantum consentaneum erat, quum inter ipsa Democriti scripta nec numero nec meritis infima ea essent, quae ad mathematicas artes spectarent[49]), aliquam hujus disciplinae notitiam Thrasyllum ex Democrito quoque percipere; eam tamen ipsam quo longius persequeretur, eo propius ad Pythagoricas rationes adductus esse videtur, quibus ne Democritum quidem alienum fuisse summo opere demonstrare intendit[50]); neque ad Platonem qua pervenerit via proclivior deprehenditur, cujus etiam posterius nulla diligentius placita excoluit, quam quae cum mathematicis musicisque Pythagoreorum inventis cohaererent.

Ex hoc enim genere jam pleraque sunt, quae a veteribus scriptoribus ad Thrasylli auctoritatem referuntur, quaeque etiam si accuratiore nota careant, tamen summa cum probabilitate ad eum librum revocabimus, quo ille sphaerarum harmoniam, hoc est planetarum intervalla musicis legibus descripta illustrasse traditur[51]). Hic certe idem est, quem septem sonorum vel chordarum nomine Porphyrius laudare videtur[52]), neque alium, ut opinamur, Theo respexit, ubi in fine Astronomiae nuper a Martino editae quintam eamque ultimam operis sui partem, qua *περὶ τῆς ἐν κόσμῳ μουσικῆς* agendum sit, ad eorum maxime exemplum se compositurum pollicetur, *ἃ καὶ περὶ τούτων ἐν κεφαλαίοις παραδείκνυσιν ὁ Θράσυλλος*[53]); hoc autem posito ea quoque, quae in prima ejusdem operis Theonei parte dudum Thrasyllo auctore tradita legebamus[54]), nunc saltem sine ulla dubitatione

---

48) Hic enim ille aetatem suam ex Trojae excidio computaverat: *συντετάχθαι δέ φησι τὸν μικρὸν διάκοσμον ἔτεσιν ὕστερον τῆς Ἰλίου ἁλώσεως τριάκοντα καὶ ἑπτακοσίοις*, Diog. L. IX. 41; unde si Thrasyllus nativitatis annum colligere conabatur, eruditus homo facile eo deferri poterat, ut totam antiquorum temporum summam proponeret. — 49) Cf. Brandis in Niebuhr. Rh. Mus. T. III, p. 134—137. — 50) Diog. L. IX. 38: *δοκεῖ δέ, φησὶν ὁ Θράσυλλος, ζηλωτὴς γεγονέναι καὶ τῶν Πυθαγορικῶν, ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ τοῦ Πυθαγόρου μέμνηται, θαυμάζων αὐτὸν ἐν τῷ ὁμωνύμῳ συγγράμματι:* quem commentarium Pythagorae nomine inscriptum memorabile est Thrasyllum in ipso librorum Democriteorum limine collocasse. — 51) Achill. Tat. in Phaenom. c. 16: *περὶ δὲ τῆς ἐναρμονίου κινήσεως αὐτῶν εἶπεν Ἄρατος ἐν τῷ Κανόνι καὶ Ἐρατοσθένης ἐν τῷ Ἑρμῇ καὶ Ὑψικλῆς καὶ Θράσυλλος καὶ Ἄδραστος Ἀφροδισιεύς· ἤρξαντο δὲ τοῦ λόγου τούτου οἱ Πυθαγόρειοι.* — 52) Porphyr. ad Ptolem. Harmon. in Wallis. Opp. T. III, p. 266: *ἀλλὰ καὶ Θράσυλλος ἐν τῷ περὶ τῶν ἑπτὰ μόνον ἐπὶ τῆς διαφορᾶς εἶναι τῶν φθόγγων τάττει τὸ διάστημα, γράφων οὕτως· τὸ δὲ διάστημα λέγουσιν αὐτὴν τὴν διαφορὰν τὴν γενομένην πρὸς ἀλλήλους δύο φθόγγων τῶν ἀνομοίων κ. τ. λ.* Legendum esse *περὶ τῶν ἑπτὰ τόνων* dudum alii monuerunt; idem vero procul dubio est *περὶ ἑπτὰ χορδῶν*, unde idem p. 270 haec verba affert: *τῆς δὲ συμφωνίας ἐστὶν εἴδη πλείω· ἡ μὲν γὰρ λέγεται διὰ πασῶν, ἡ δὲ διὰ τεσσάρων, ἡ δὲ διὰ πέντε· συντάσσεται δ᾽ οὖν ἐν ταῖς ἁπλαῖς.* — 53) Theon. de Astron. p. 340. — 54) Id. de Musica c. 2: *Θράσυλλος τοίνυν περὶ τῆς ἐν ὀργάνῳ αἰσθητῆς λέγων ἁρμονίας φθόγγον φησὶν εἶναι φωνῆς ἐναρμονίου τάσιν κ. τ. λ.* Ibid. c. 33: *ἀναλογίας δὲ ὁ μὲν Θράσυλλός φησιν εἶναι προηγουμένας τρεῖς κ. τ. λ.* Ibid. c. 35: *ἡ δὲ τοῦ κανόνος κατατομὴ γίνεται διὰ τῆς ἐν τῇ δεκάδι τετρακτύος . . . διαιρεῖ δὲ αὐτὸν ὁ Θράσυλλος οὕτως· δίχα μὲν διελοῦσι τὸ μέγεθος* et quae sequuntur usque ad c. 36, p. 145: *καὶ ἡ μὲν ὑπὸ Θρασύλλου παραδεδομένη κατατομὴ τοῦ κανόνος ὧδε ἔχει:* unde facilis suspicio est, etiam in prioribus hujus libelli partibus Thrasyllei nominis auctoritatem longius patere.

ex eodem libro derivabimus. Nimirum Theo, quum mathematicorum, quibus ad Platonem intelligendum opus esset, quinque genera invenisset, musicum, quod ipse Plato Reipubl. L. VII extremo loco posuerat, ille bifariam potius divisit, alteroque ejus capite, quod in numeris sonorum cerneretur, cum arithmetica parte conjuncto, alterum demum mundanum ad totius operis finem rejecit [55]; cujus si jam ita Thrasyllum auctorem laudat, ut se *etiam* quae hoc in genere ille docuerit secuturum profiteatur, ne prioris quidem partis locos Thrasylleos, quamvis a primis elementis proficiscantur, ab eo libro disjungere licebit, quo Thrasyllus mundani concentus leges enarraverat. Immo haud scimus an his ipsis locis id contineatur, quod Nicomachus in harmoniae mundanae descriptione Thrasyllea ita reprehendit, ut Thrasyllum a Pythagoreae disciplinae intellectu aberrasse neque id assecutum esse criminetur, quod Timaeus Locrus eumque secutus Plato ad musici canonis sectionem contulerint [56]. Nempe hanc canonis sectionem ipsis Thrasylli, ut videtur, verbis diligenter Theo exposuit [57]; quem, ut hoc obiter moneamus, vel solum arbitramur deterrere Sevinum et Martinum debuisse, quominus Thrasyllum nostrum cum Phliasio confunderent, quem quum Plutarchus chromate abstinuisse narret, Thrasyllus apud Theonem chromaticum aeque ac diatonicum genus exponit; idem tamen intra quinque tetrachorda sive quadruplex unitatis incrementum substitit, quod omnino diu amplissimum intervallum fuisse, quo vetus musica uteretur, proverbialis formula *δὶς διὰ πασῶν* arguit [58]; quanquam id ipsum, si recte intelligimus, et illi et Eratostheni [59] Nicomachus exprobrat, quod non ad vigesimum septimum ab unitate numerum progressi sint, quo Platonicum animae mundanae diagramma in Timaeo finiri constat [60]. Haec autem quomodo ad astrologiam pertineant, cujus laude maxime Thrasyllum floruisse legimus, facile intelligetis, Commilitones, ubi ipsa planetarum intervalla ita a veteribus disposita esse recordabimini, ut ad musicarum proportionum similitudinem concentum aliquem inter mo-

---

55) Theon. de arithm. c. 2: *ὀρεγόμεθα δὲ τὴν ἐν κόσμῳ ἁρμονίαν καὶ τὴν ἐν τούτῳ μουσικὴν κατανοῆσαι, ταύτην δὲ οὐχ οἷόν τε κατιδεῖν μὴ τῆς ἐν ἀριθμοῖς πρότερον θεωρητικοῖς γενομένους, διὸ καὶ πέμπτην ὁ Πλάτων* (Republ. VII, p. 531) *φησὶν εἶναι τὴν μουσικὴν τὴν ἐν κόσμῳ λέγων, ἥ τις ἐστὶν ἐν τῇ κινήσει καὶ τάξει συμφωνία τῶν ἐν αὐτῇ κινουμένων ἄστρων· ἡμῖν δὲ ἀναγκαῖον δευτέραν αὐτὴν τάττειν κ. τ. λ.*, cf. Martin. l. c. p. 15. — 56) Enchir. Harmon. I, p. 24: *καὶ προσεκθησόμεθα τὴν τοῦ πυθαγορικοῦ λεγομένου κανόνος κατατομὴν, ἀκριβῶς κατὰ τὸ βούλημα τοῦδε τοῦ διδασκάλου συντετελεσμένην, οὐχ ὡς Ἐρατοσθένης παρήκουσεν ἢ Θράσυλλος, ἀλλ' ὡς ὁ Λοκρὸς Τίμαιος, ᾧ καὶ Πλάτων παρηκολούθησεν, ἕως τοῦ ἑπτακαιεικοσιπλασίου.* Timaei Locri nomine manifesto innuitur Timaei Platonici epitome, cujus haud scimus an hoc antiquissimum testimonium exstet; huic vero nuper demum diagramma, quod Nicomachus respicere videtur, redditum est; cf. de Gelder. edit, Lugd. 1836. 8, p. 11. — 57) Cf. not. 54 cum illustratione Boeckhii in Stud. Heidelb. T. III, p. 66—73 et de metr. Pind. p. 208 sqq. — 58) Cf. Intpp. Lucian. T. I, p. 220 Bip. et Boeckh. l. c. p. 62. — 59) Eratosthenes quo in libro hoc argumentum tractaverit, ambiguum reliquit Bernhardy Eratosth. p. 171, nec repugnamus, quo minus pedestri sermone fuerit; possis tamen etiam ad poëma Mercurii nomine inscriptum redire, in quo sphaerarum certe harmoniam locum invenisse legimus not. 51. — 60) Tim. p. 35; cf. Boeckh. Stud. p. 76—80, clare tamen addentem: *ein so grosses System war bei den Griechen in keiner Zeit gebräuchlich, sondern ist eine blosse Speculation* etc.

vendum efficere viderentur[61]; quem concentum quum alii intra simplicis *διὰ πασῶν* fines continuissent[62], alii vero ad ipsum Platonici illius diagrammatis ambitum extendissent[63], haud scimus an Thrasyllum iis potissimum annumerare liceat, qui eundem cum quinque tetrachordis *ὑπάτων, μέσων, συνημμένων, διεζευγμένων, ὑπερβολαίων* ita conciliarent, ut in singulorum terminis singulos planetas collocarent[64]; eorundemque quum septem sonos stabiles habitos esse constet, qui in tribus generibus, diatonico, chromatico, enarmonio, locum non mutarent, ipsum Thrasyllei libri titulum apud Porphyrium servatum ita commodissime explicabimus, ut non ad unum unius generis heptachordon, sed ad eum sonorum septenarium spectaverit, quo totus fere canon, qui apud Theonem est, pariter comprehendatur.

Hic igitur liber praecipuus inter Thrasylleos habitus esse videtur, in quo musicam doctrinam cum caelestibus motibus conjunxit; ad ipsa sidera qui pertinuerit, unus tantum obiter commemoratur, ubi de natura solis disputasse fertur[65]; quanquam alios quoque exstitisse, qui Chaldaicam sive horoscoporum disciplinam continerent, non Juvenalis tantum versus, ubi *numeros Thrasylli* a *tritis ephemeridibus* aegre sejunxeris[66], sed Porphyrii quoque testimonium docet, qui in Ptolemaei Tetrabiblo enarranda bis etiam Thrasylli de hoc argumento sententias profert[67]. Nam quod fuerunt, qui apud Juvenalem saltem filium potius intelligerent, quem eadem arte clarum Neroni imperium vaticinatum esse legimus[68], hunc, licet paternam disciplinam propagaverit, scripti tamen quicquam reliquisse nemo prodidit; scriptorem hoc nomine unum tantum novimus, in quem omnia,

---

61) Cf. Boeckh. ibid. p. 83—92, Martin Etudes sur le Timée T. II, p. 36—39, Piper von der Harmonie der Sphären, Berl. 1850. 8. — 62) Censor. die nat. c. 13: *itaque a caelo summo ad solem diastema esse διὰ τεσσάρων id est duorum tonorum et dimidii, ad terrae autem — summitatem ab eodem caelo tonos esse sex, in quibus sit διὰ πασῶν symphonia;* cf. Plin. N. Hist. II. 20 et Nicom. Enchir. harm. II, p. 33. — 63) Cf. Porphyrium apud Macrob. ad Somn. Scip. II. 3 et Boeckh. de Plat. syst. cael. glob. 1810. 4, p. 6. — 64) Plut. procr. anim. c. 32: *οἷς δ᾽ οὖν οὐ δοκεῖ ταῦτα τῆς Πλάτωνος ἀπηρτῆσθαι διανοίας, ἐκεῖνα κομιδῇ φανεῖται τῶν μουσικῶν λόγων ἔχεσθαι, τὸ πέντε τετραχόρδων ὄντων τῶν ὑπάτων καὶ μέσων καὶ συνημμένων καὶ διεζευγμένων καὶ ὑπερβολαίων, ἐν πέντε διαστήμασι τετάχθαι τοὺς πλάνητας... ὥστε τοὺς ὁρίζοντας φθόγγους τὰ τετράχορδα τὸν τῶν πλανωμένων λόγον ἔχειν ἀστέρων· ἔτι τοίνυν τοὺς παλαιοὺς ἴσμεν ὑπάτας μὲν δύο, τρεῖς δὲ νήτας, μίαν δὲ μέσην καὶ μίαν παραμέσην τιθεμένους, ὥστε τοῖς πλάνησιν ἰσαρίθμους εἶναι τοὺς ἑστῶτας, οἱ δὲ νεώτεροι τὸν προσλαμβανόμενον, τόνῳ διαφέροντα τῆς ὑπάτης, ἐπὶ τὸ βαρὺ τάξαντες τὸ μὲν ὅλον σύστημα δὶς διὰ πασῶν ἐποίησαν κ. τ. λ.* Ptolemaeus quoque Harmon. III. 16 Saturnum in *νήτῃ ὑπερβολαίων*, Jovem in *νήτῃ διεζευγμένων*, Martem in *νήτῃ συνημμένων*, Venerem in *μέσῃ* ponit, unde facile Soli *παραμέσην*, Mercurio *ὑπάτην μέσων*, Lunae *ὑπάτην ὑπάτων*, terrae denique *προσλαμβανόμενον* vindices; haec tamen, quia stat, inter chordas non est, septemque intervallis *δὶς διὰ πασῶν* conficitur. — 65) Achill. Tat. Phaenom. c. 19: *πολλοῖς δὲ περὶ τούτου πραγματεῖαι γεγόνασιν, ὥσπερ Θρασύλλῳ καὶ Ἀδράστῳ τῷ ἀπὸ περιπάτου καὶ Ἀφροδισιεῖ.* — 66) Sat. VI. 576. — 67) Introd. ad Ptolem. Tetrab. Bas. 1559 p. 189: *Θράσυλλος δὲ τὴν ἀκτινοβολίαν ἀναίρεσιν λέγει κ. τ. λ.* usque ad finem capitis, quod fragmentum satis insigne neminem eorum, qui de Thrasyllo egerunt, advertisse miror; alterum tantum p. 195 nescio cujus Demophili nomine laudarunt: *καὶ γὰρ Ἀπολινάριος ἐν τῇ τῶν ὁρίων διατάξει διαφωνεῖ πρὸς Πτολεμαῖον καὶ ἀμφότερος πρὸς Θράσυλλον καὶ Πετόσιριν καὶ ἄλλους τῶν πρεσβυτέρων.* — 68) Tac. Ann. VI. 22.

quae cum aliqua veri specie Thrasyllum edidisse constat, conferemus, neque adeo quae Plinius de aquatilibus (cf. not. 18) eidem nomini accepta refert, ab homine multiplici et varia doctrina insigni aliena existimabimus. Omnium tamen clarissima fuisse videntur, quae ad Platonem illustrandum pertinerent, quo a genere ne musicum quidem illum commentarium alienum fuisse eadem sphaerarum harmonia in Reipublicae libro extremo proposita ostendit [69]; eundemque praeterea vel tetralogiis a se dispositis similem ejus, qua Democritum ornavit, *εἰςαγωγὴν* praemisisse, vel aliquo modo de Platonis vita placitisque commentatum esse, et Porphyrius et Diogenes Laërtius liquido confirmant. Nam quod Porphyrius [70]) auctore Longino Plotini de principiis Platonicis Pythagoricisque commentarios Thrasyllo praefert, hunc tamen et tractasse idem argumentum testatur et vel sic satis honorificum ei locum in Numenii, Cronii, Moderati consortio tribuit; Diogenes autem claris verbis de prosapia philosophi testem Thrasyllum adhibet [71]); quibus si illud adjunxeris, quod idem hunc de Anterastarum dialogi personis et auctoritate disputasse refert [72]), in Platone quoque enarrando utrum grammatici an philosophi partes potiores habuerit, aegre discernas. Id modo cavendum est, ne cum Yxemio [73]) eam quoque Platonicorum dialogorum dispositionem ad Thrasyllum revocemus, qua hi per characterum genera distributi, prouti res propius vel personas tangere videntur, aut *ὑφηγητικοὶ* aut *ζητητικοὶ* appellantur porroque per singulas utriusque generis partes quadrifariam divisi et philosophiae graecae et Socraticae disciplinae imaginem omnibus numeris absolutam exhibent [74]); huic enim partitioni nec tetralogiarum descriptio accommodata est nec plures duabus inscriptionibus singulis dialogis addidisse Thrasyllus traditur [75]); quae quum pro illa partitione plerumque ternae sint, tertiae alium auctorem exstitisse apparet; Albinus denique eandem claris verbis a Thrasyllo et Dercyllide disjungit, quorum tetralogiae ibi demum locum tribuit, ubi de legendorum dialogorum ordine agitur [76]). Difficilior quaestio est de ipso Dercyllide, quem idem Albinus ita ante Thrasyllum ponit, ut fuerint

---

69) Republ. X, p. 617 B; cf. Martin. ad Theon. p. 361 sqq. — 70) Porphyr. V. Plotini XX. 10: *ὁ μὲν τὰς Πυθαγορείους ἀρχὰς καὶ Πλατωνικὰς, ὡς ἐδόκει, πρὸς σαφεστέραν τῶν πρὸ αὐτοῦ καταστησάμενος ἐξήγησιν· οὐδὲ γὰρ οὐδὲν ἐγγύς τι τὰ Νουμηνίου καὶ Κρονίου καὶ Μοδεράτου καὶ Θρασύλλου τοῖς Πλωτίνου περὶ τῶν αὐτῶν συγγράμμασιν εἰς ἀκρίβειαν.* — 71) Diog. L. III. 1: *φασὶ δὲ καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ ἀνάγειν εἰς Κόδρον τὸν Μελάνθου, οἵτινες ἀπὸ Ποσειδῶνος ἱστοροῦνται, κατὰ Θρασύλον.* — 72) Cf. sup. not. 45. Longius etiam in hoc genere progredi liceret, si recte Yxemius über Platon's Kleitophon p. 9 apud Proclum ad Timaeum p. 7 *Θράσυλλον* pro *Πτολεμαίῳ* substituisset; at Ptolemaeus Platonicus, quem ille unquam fuisse negat, etiam apud Stob. Ecl. phys. p. 904 cum Eratosthene jungitur. — 73) Ein Logos protreptikos, Schleiermacher und Platon betreffend, Berlin 1841. 8, p. 10 sqq. — 74) Diog. L. III. 49. — 75) Id. III. 57: *διπλαῖς δὲ χρῆται ταῖς ἐπιγραφαῖς ἑκάστου τῶν βιβλίων, τῇ μὲν ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, τῇ δὲ ἀπὸ τοῦ πράγματος.* — 76) Isag. c. 6: *ἐπεὶ οὖν τεθεωρήκαμεν τὴν διαφορὰν αὐτῶν, ὡς πέφυκε γίγνεσθαι, καὶ τοὺς χαρακτῆρας, ἐπὶ τούτοις λέγωμεν, ἀπὸ ποίων διαλόγων δεῖ ἀρχομένους ἐντυγχάνειν τοῦ Πλάτωνος λόγῳ . . . εἰσὶ δὲ οἱ κατὰ τετραλογίαν διελόντες αὐτοὺς καὶ τάττουσι πρώτην τετραλογίαν περιέχουσαν τὸν Εὐθύφρονα καὶ τὴν Ἀπολογίαν καὶ τὸν Κρίτωνα καὶ τὸν Φαίδωνα . . . ἧς δόξης εἰσὶ Δερκυλλίδης καὶ Θράσυλλος κ. τ. λ.*

qui illum potius tetralogiarum auctorem facerent[77]) hasque ipsas Thrasyllo antiquiores esse ex Varronis quoque loco colligerent, ubi Phaedonis locus ex *quarto* Platonis laudatur; sed nec hujus certa lectio est[78]), nec Dercyllides quando vixerit, in testimoniorum exiguitate liquido constat[79]); sin maxime antiquior Thrasyllo fuit, Albini tamen verba hoc tantum efficiunt, ut Euthyphronem, Apologiam, Critonem, Phaedonem velut unam tetralogiam ante reliquos Platonis libros legi jusserit, non ut hos omnes similis descriptionis finibus incluserit; quod si nec Aristophanem Byzantium trilogica sua distributione omnes pariter dialogos comprehendisse constat[80]), Dercyllides quoque, qui omnino philosophiae potius quam singulis Platonis scriptis operam suam addixisse videtur, intra unam alteramque tetralogiam subsistere et exemplum tantum edere poterat, quod primus mox Thrasyllus ad totum librorum Platonicorum ambitum extenderet.

At, inquiunt, ipsum Platonem dialogos suos per tetralogias dispositos edidisse non Diogenes Laertius tantum sed hoc teste ipse Thrasyllus tradidit[81]); quod testimonium etsi fuit qui ad editionem a Thrasyllo curatam detorquere conaretur[82]), hujus tamen editionis sive recensionis vestigium neque alibi neque in Diogenis verbis exstat, neque ideo hoc in genere longius Thrasylli meritum patet, quam ut genuini ordinis memoriam evanidam revocaverit et novis curis commendarit[83]). Qua in disputatione illud quidem verissimum est, de recensione Platonis a Thrasyllo facta non magis constare quam de Aristophanis Byzantii opera in hoc genere collocata, cujus trilogias Nauckius nuper ad eos potius commentarios retulit, quibus idem Callimachi tabulas eruditorum illustraverat[84]); ne tamen iccirco ad Platonis auctoritatem redeamus, et Aristophanis illud exemplum prohibet, quem vix arbitramur, si quicquam tunc de ordine ab ipso Platone constituto innotuisset, alium eumque imperfectum substituturum fuisse,

---

77) Victor. var. lectt. XVIII. 2, p. 461: Mullach ad Democr. p. 97. — 78) Cf. L. lat. p. 323 ed. Spengel, ubi quod Plato in IV de fluminibus apud inferos quae sint, in his unum Tartarum appellare dicitur, manifesto significatur Phaed. p. 113; orationis tamen scabrities jam Scioppium movit, ut *in quattuor fluminibus* corrigeret, eumque secutus est Müllerus, cui hoc certe objici cum Mullachio non potest, quattuor fluminum numero apud Platonem Tartarum non comprehendi. Communem enim alveum, quo reliqua aquas suas effundunt indeque rursus profluunt, optimo jure flumen et ipsum habebimus; ne autem sic quinque efficiantur, Oceanum in terram erumpere neque ad inferos referendum esse recogitandum est. — 79) Cf. Osann. ad Cic. de Republ. p. 413 et Martin. ad Theon. p. 72—74. — 80) Diog. L. III. 62: *τὰ δὲ ἄλλα καθ' ἓν καὶ ἀτάκτως.* — 81) Ibid. III. 56: *Θρασύλος δέ φησι, καὶ κατὰ τὴν τραγικὴν τετραλογίαν ἐκδοῦναι αὐτὸν τοὺς διαλόγους, οἷον ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις, ὧν τὸ τέταρτον ἦν σατυρικόν, τὰ δὲ τέτταρα δράματα ἐκαλεῖτο τετραλογία.* — 82) Boeckh. Ind. lectt. Berol. 1841—42, p. 4: *ἐκδοῦναι αὐτὸν refertur ad Platonem; Thrasyllus tamen haec de se, non de Platone dixerat; ipse enim Thrasyllus hunc instituerat dialogorum ordinem.* — 83) Yxem über Platon's Kleitophon, Berl. 1846. 4, p. 3 sqq.; cf. idem über Euthyphron, Berl. 1842. 4, p. 23 et quamvis cautior Mullach. ad Democr. p. 99, cui *non infelix conjector fore* videtur, *qui suspicetur ordinem, quo Platonis opera vel vivo adhuc auctore vel mortuo prodierint, non multum discrepare ab eo, qui Varronis et Thrasylli aevo in codicibus manu exaratis erat.* — 84) Aristoph. Byz. fragm. Hal. 1848. 8, p. 247. 250.

et ea controversia dissuadet, qua ambiguum habitum esse videmus, a quo dialogo Platonis lectio incipienda esset; postremo si unum ex iis dialogis, qui tetralogias efficiunt, non scriptum a Platone esse apparuerit, totius dispositionis fidem perire consentaneum est. Atqui Epinomidem jam veteres pariter ac nostrates [85]) certatim intellexerunt ab eo conscribi non potuisse, qui ipsum Legum opus non absolvisset, eoque nomine ipsas tetralogias jam olim in dubitationem vocarunt [86]); Anterastas autem ipse Thrasyllus ita commemoravit, ut num revera Platonis essent, certe dubitaret [87]), id quod profecto non fecisset, si primitivam Platonis seriem manibus tenuisset; nec quod eundem dialogum intra ipsum tetralogiarum ordinem recepit, hoc argumentum infirmat, cujus haec vis est, ut qui se velut autographi vestigia sectari crederet, ne dubitare quidem de ulla hujus parte potuerit. Dubitasse enim de Anterastis Thrasyllum verba *εἴπερ οἱ Ἀντερασταὶ Πλάτωνός εἰσι* liquido ostendunt; quae quod Yxemius ita interpretatus est, ut etiam majorem Platonicae originis confirmationem continere viderentur [88]), et universam particulae *εἴπερ* vim mirum in modum detorsit [89]) nec Galeni exemplo, quo potissimum nititur [90]), caute usus est, ubi si maxime *quum* significaret, haec ipsa interpretatio Diogenis loco illata vel sic probatione ipsi Platonicam dialogi originem indigere visam esse ostenderet. Accedit tetralogiarum consilium, quod neque ad temporis ordinem, quo dialogi scripti fuerint, neque ad aequabilem quandam voluminum distributionem revocari posse patet; nihil igitur restat, nisi ut is, qui primus hunc ordinem instituit, viam monstrare legentibus voluerit, qua singulas doctrinae Platonicae partes apta serie continuarent; idque ipsum est quod Albinus vel Dercyllidae vel Thrasyllo tribuit; at, opinamur, talem si jam Plato viam praefinivisset, nihil profecto sanctius ipsis discipulis esse debuisset,

---

85) Cf. in primis Boeckh. in Plat. Minoem. p. 74 et über das kosmische System des Plato, Berl. 1852, 8, p. 149. — 86) Insignem hoc de argumento locum ex inedito recentioris Platonici libello Spengelii, professoris Monacensis, benevolentia nobiscum communicavit: *φασὶν οὖν ἐννέα εἶναι τετραλογίας, ὡς λς εἶναι τοὺς πάντας διαλόγους αὐτοῦ· οὗτοι δὲ διὰ τὸ συστῆναι τὸν τῶν τετραλογιῶν ἀριθμὸν τὸ ἐπινόμιον νοθευόμενον γνήσιον ἀποφαίνουσιν· ὅτι δὲ νόθον ἐστί, διὰ δύο τινῶν δείκνυσιν ὁ σοφώτατος Πρόκλος, πρῶτον μὲν λέγων, πῶς ὁ τοὺς νόμους μὴ εὐπορήσας διορθώσασθαι διὰ τὸ μὴ ἔχειν χρόνον ζωῆς τὸ ἐπινόμιον τὸ μετὰ τούτους ἂν εἶχε γράψαι, δεύτερον δ᾽ ὅτι ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις διαλόγοις αὐτοῦ φησὶ τοὺς πλανωμένους ἀστέρας ἀπὸ τῶν δεξιῶν ἐπὶ τὰ ἀριστερὰ κινεῖσθαι, ἐν αὐτῷ δὲ τὸ ἀνάπαλιν ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιά.* — 87) Diog. L. IX. 37; cf. sup. not. 45. — 88) L. c. p. 6: *das »wenn anders« ist also hier ein solches wenn anders, bei welchem die Parenthese zu ergänzen ist: »und kein vernünftiger Mensch wird daran zweifeln«!* — 89) Sic ipse Plato Hipp. min. p. 376 B: *εἴπερ τίς ἐστιν οὗτος*: Protag. p. 319 A: *καλὸν τέχνημα ἆρα κέκτησαι, εἴπερ κέκτησαι*: Euthyd. p. 286 D: *ἢ οὐ τοῦτ᾽ ἂν εἴη ἀμαθία, εἴπερ εἴη*: Euthyphr. p. 8 C: *εἴπερ ἀμφισβητοῦσι θεοί*: quibus omnibus egregie convenit quod Hermannus ad Vigerum annotavit §. 310: *εἴπερ usurpatur de re, quae esse sumitur, sed in incerto relinquitur, utrum jure an injuria sumatur.* — 90) Galen. T. XV, p. 169, quo tamen propius inspecto particulam solitam vim retinere intelliges. Galenus enim Platonis placitum in Timaeo prolatum non probat; ne tamen tanto viro obloqui videatur, verbis ipsius propositis dubitare se fingit, num sensum eorum recte assecutus sit: *εἴπερ οὖν ὁ Πλάτων τὸ νωθέστατον στοιχεῖον . . . ἐν τετραπλασίαις χρόνου περιόδοις ἐκκαθαίρεσθαί φησι κ. τ. λ.*

quam ut hanc sive ab ipso traditam sive a Thrasyllo restauratam sedulo servarent, nec facile commisissent, ut ad extrema usque tempora nihil magis ambiguum inter Platonicos haberetur [91]). Alii denique quod tetralogias quidem Platonem reliquisse, has autem a Thrasylleis prorsus diversas fuisse statuunt [92]), nescio quomodo eundem testem elevant, cui soli tetralogiarum illarum notitiam debemus; qui sive certam harum memoriam retinuit, profecto etiam quas Plato composuisset scivit, sive suas ex conjectura descripsit, de ipso quoque Platone vix aliud notum habuisse videtur, quam quod etiam nunc in propatulo est, bis illum quaternorum dialogorum continuationem instituisse, quarum tamen utraque intra tertium constitit [93]); utque hinc facile grammatici commentum excusatur, cui ille numerus omnium aptissimus ad digerenda philosophi scripta videri poterat, ita nihil est quod nos hujus consilium ultra ea exempla, quae ipse clare significavit, extendere aut suadeat aut cogat [94]).

Neque alia, ut arbitramur, Thrasylli mens fuit in iis, quae ipsius verbis referre Diogenes videtur, quam ut tetralogicam dispositionem Platonis exemplo commendatam esse diceret; cetera, quorum partim adeo inepta sunt, ut nonnullis ne a Diogene quidem scribi potuisse visa sint [95]), ab erudito Tiberii aequali protinus aliena habemus nec tragoediarum comparationem aliter ab hoc institui potuisse censemus, quam ut solum numerum quaternarium respiceret, qui Platoni pariter ac tragicis commodissimus ad plura opera unius comprehensionis vinculo jungenda visus esset. Nam quod fuerunt qui aut dramaticae dialogorum Platonicorum indoli hanc tragicarum tetralogiarum imitationem peculiariter convenire aut ipsorum minorum dialogorum hoc consilium fuisse existimarent, ut satyricorum dramatum instar ad majorum trilogias pro appendice accederent [96]), ne Thrasylli quidem, nedum Platonis dispositiones accuratius perspexerunt, qui

---

91) Diog. L. III. 62: *ἄρχονται δὲ οἱ μὲν, ὥς προείρηται, ἀπὸ τῆς Πολιτείας, οἱ δ᾽ ἀπὸ Ἀλκιβιάδου μείζονος, οἱ δ᾽ ἀπὸ Θεάγους, ἔνιοι δὲ Εὐθύφρονος, ἄλλοι Κλειτοφῶντος, οἱ δ᾽ ἀπὸ Φαίδρου, ἕτεροι Θεαιτήτου*: cf. Albin. c. 6 et Creuzer. ad Procl. comm. Alcib. p. XII. — 92) Cf. Sam. Petit. Miscell. IV. 2, Welcker aeschyl. Tril. p. 528, Winckelm. ad Plut. Euthyd. p. XLIV: *de tetralogiis, quibus Platonem dialogos edidisse mihi persuasum est, hic disserere longum est; quam vero Thrasyllus instituit dialogorum in tetralogias divisionem, quum plane arbitraria sit neque ulla certa ratione nitatur, nihili est facienda.* — 93) Cf. Tchorzewski de Politia Timaeo Critia ultimo Platonis ternione, Casan. 1847. 8, p. 43 sqq. — 94) Verissime Astius Plat. Leben und Schriften p. 49: *die Idee der Tetralogie ist daher nicht schlechthin verwerflich, da sie durch die Andeutungen des Platon selbst bestätigt wird; nur wird sie zu weit ausgedehnt, wenn man alle vorhandenen Gespräche des Platon tetralogisch ordnen und nach blossem Gutdünken zusammenstellen will.* — 95) Cf. Wyttenbach Bibl. crit. T. II, P. 3, p. 56, Wolf Proleg. Hom. p. 111, Boeckh. trag. gr. princ. p. 208 etc. Aliter eundem locum tractavit Fritzsche de Lenaeis p. 57, cui tamen etsi concedimus *Diogenem auctores suos compilando saepe turpiter corrupisse*, tamen quod ipse Thrasyllum dicentem fecit, *Platonem dialogos suos Panathenaeis . . . publice edidisse*, vix, opinamur, inveniet cui placeat. — 96) Ut Petitus et Welckerus, cujus l. c. haec verba sunt: *gewiss nicht in zufälligen Abtheilungen zu vier und vier nach der späteren uneigentlichen Tetralogie, sondern nach dem Zusammenhang von drei grösseren Gesprächen unter sich mit einem kleineren Nebenstück, wie selbst die Versuche, die frühzeitig verlorene Ordnung wieder herzustellen, von Aristophanes von Byzanz und Thrasyllos beweisen!*

quum Theaeteto, Sophistae, Politico Philosophum, Reipublicae, Timaeo, Critiae Hermocratem comites destinaret, his dialogis cumulum potius toti disputationis seriei imponere quam legentium animos hilaritate quadam relaxare cogitabat; postremo nescio quomodo obliti sunt Democriteorum librorum ab eodem Thrasyllo ad ejusdem numeri normam descriptorum, in quibus dramatici generis ne levissimum quidem vestigium exstabat. Nempe hos si post Platonis libros ad eundem numerum revocavit, certe in illis quoque non tanti sibi tragoediarum imitationem fuisse significavit, ut eandem distributionem ad aliud genus transferre dubitaret; sive, quod nobis videtur, Democriti libros ante Platonicos per tetralogias digessit, ejusdem descriptionis multo propiores causas quam dramaticas habuit; ipsum denique tetralogiae vocabulum quum ad tragicos quaterniones sive didascalias [97]) ex communi potius sermonis usu adaptatum quam ex peculiari scenae loquela dilatatum et ad alia genera translatum esse consentaneum sit, omnem dramaticorum quaternionum comparationem, quae numeri aequalitatem excedat, in Thrasylli rationibus existimandis jure nostro recusare nobis videmur [98]). Immo si quid alieni exempli Thrasyllus secutus est, Dercyllidae fuit, quem jam superius suspicati sumus quatuor primos dialogos ita comprehendisse, ut ab his Platonis legendi initium faciendum commendaret; hoc igitur primi quaternionis exemplo proposito adjunctisque duobus aliis, quos ipsum Platonem inchoasse diximus, nullam amplius causam desideramus, qua moveri Thrasyllus potuerit, ut reliquos hujus libros similiter distribueret; non quo omnes hoc ordine scriptos aut editos esse crederet, sed quia quaternarium numerum prae ceteris et Platoni probatum et ipsis libris velut per gradus quosdam disponendis aptum deprehenderet. Nec negari potest id institutum Thrasyllo ita successisse, ut et singulorum dialogorum cognationes subtilius intelligeret, quam id cuiquam eorum, qui post eum idem negotium administraverunt, contigit, et quamvis neglecta temporum ratione intra majores certe classes ad eum ordinem, quem nobis temporum computatio commendavit, tam prope accederet, ut saepe idem nobiscum sensisse videatur. Missa enim prima tetralogia, quam jam Dercyllides personae potius Socratis vitaeque philosophicae imagini illustrandae destinaverat [99]), reliquae octo facile in tres classes distribui possunt; quarum etsi primam secunda tempore antecedit, in singulis tamen classibus vix unum alterumque invenies, quem alieno a ceteris tempore positum existimes; tantumque abest ut, quod multis hodie videtur (cf. not. 92), *plane arbitrariae sint neque ulla certa ratione nitantur*, ut, modo spurios exemeris secundamque et tertiam tetralogiam post septimam

---

97) Cf. Planck. de Eurip. didasc. Troica, Gott. 1840. 8, p. 3. — 98) Tragicarum tetralogiarum hanc ipsam definitionem Thrasylleam esse ostendit Boeckhius Ind. lectt. 1841—42 p. 6, ut *tragica didascalia quadripartita quaelibet hoc vocata nomine* sit; idem Antiphonteas *ad tragicorum imitationem conformatas haberi posse* recte negat; quae si nihilominus argumenti similitudinem cum Thrasylleis communem habent, ne has quidem est cur propiore cognatione cum tragicis jungamus. — 99) Cf. Albin. c. 6 et Diog. L. III. 57: *πρώτην οὖν τετραλογίαν τίθησι τὴν κοινὴν ὑπόθεσιν ἔχουσαν· παραδεῖξαι γὰρ βούλεται, ὁποῖος ἂν εἴη ὁ τοῦ φιλοσόφου βίος.*

posueris, plurimorum maximorumque dialogorum series etiam subtilioribus nostrae aetatis rationibus plane satisfaciat. Immo vel hanc exemplo docere potest, qui Hippiam majorem, quem plerique adhuc ad Platonis adolescentiam relegant [100]), eodem quo nos loco post Menonem collocavit; eidem vero quod tum demum Hippiam minorem et Ionem adjecit, qui nobis propius ad Alcibiadis indolem atque aetatem accedere videntur, ex nominis similitudine, quae minorem cognominem majori praecedere vetabat, aliquam excusationem habebit; nec Menexeni locus in septima tetralogia quamvis a reliquo illius tempore et argumento alienus eum valde offendet, qui eundem jam in sequentis classis confinio positum ad Rempublicam vergere recogitaverit.

Hoc igitur, si a paucorum dialogorum perversione discesseris, recte jam Thrasyllus intellexit, primum Alcibiadem, Charmidem, Lysin, Lachetem, Euthydemum, Protagoram, Gorgiam, Menonem, Hippiam, deinde Cratylum, Theaetetum, Sophistam, Politicum, Parmenidem, Philebum, Convivium, Phaedrum, postremo Rempublicam, Timaeum, Critiam, Leges cum suo quemque genere interioris cognationis necessitudine jungi; quorum generum quod secundum ante primum collocavit, neglecto semel temporis ordine reprehendi non potest, quia in illis dialogis, quamvis aetate posterioribus, pleni tamen systematis principia et fundamenta continentur. Illud tantum quaerendum restat, quomodo mediis his classibus a quarta inde tetralogia sex septemve dialogos admiscuerit, quos licet cum universo genuinorum numero spuriis clare opposuerit [101]), omnes tamen nec ipse nec reliqua antiquitas extra dubitationem habuit, nostra autem aetas post Boeckhium [102]) tanto consensu damnavit, quanto ne Thrasylli quidem auctoritas cum aliqua probabilitate opponi posse videatur: quorum etsi unum alterumque, ut Theagen et Clitophontem, recentiores demum in suspicionem vocarunt, Alcibiadem secundum jam olim nonnullos ad Xenophontem, Hipparchum et Minoem ad Simonem Socraticum, Epinomidem ad Philippum transtulisse legimus, de Anterastis denique ipsum Thrasyllum tum certe, quum de Democrito scriberet, ambegisse superius cognovimus. Qua tamen in quaestione duo rursus horum dialogorum genera distinguenda sunt, alterum eorum, qui singulis tetralogiis explendis inserviunt, alterum eorum, qui continua serie positi, quamvis Alcibiades secundus, Hipparchus, Anterastae quartae, Theages quintae tetralogiae annumeretur, nihilominus inter se magis quam ceteris harum dialogis similes sunt. Et de priore quidem genere clarum est Thrasyllum, tetralogicae dispositioni quovis modo perficiendae intentum, nullum dialogum ternorum similium consortio carere pati potuisse; quos quum Respublica duos tantum certos, Timaeum et Critiam, haberet, quartum Clitophontem eo securius praemisit, quo manifestius hujus et persona et argumentum ad primi

---

100) Ut Steinhartus in Proleg. interpr. Müllerianae T. I, p. 89 sqq. Nos quae dicta sunt Gesch. der plat. Philos. T. I, p. 487 etiam nunc retinemus. — 101) Diog. L. III. 57: εἰσὶ τοίνυν, φησὶν, οἱ πάντες αὐτῷ γνήσιοι διάλογοι ἓξ καὶ πεντήκοντα . . . τετραλογίαι δὲ ἐννέα, ἑνὸς βιβλίου χώραν ἐπεχούσης τῆς Πολιτείας καὶ ἑνὸς τῶν Νόμων. — 102) In Minoem p. 33; cf. nostra Gesch. d. plat. Philos. p. 419 sqq.

Reipublicae libri imitationem effictum est; neque alia Legum causa fuit quae quum ne Epinomide quidem et Epistolis adjectis quaternionem absolverent, tetralogiarum conditori Minoem vel Aristophanis Byzantii auctoritas vel genuina inscriptio de Lege tam necessario commendabat, ut dubitationi locus omnino non relinqueretur. De reliquis autem quatuor fatemur nos omnino non intelligere, quomodo Thrasyllus tam egregiam tetralogiam, quam Alcibiades primus cum Charmide, Lyside, Lachete efficit, interpositis tot sublestissimae fidei libellis adeo turbaverit, ut nec quartus nec quintus quaternio vera argumentorum similitudine contineatur; nisi aliud homini propositum fuerit, quod quale sit, hariolatione tantum assequi liceat. Nimirum ut dicamus quae sentimus, mathematico et musico ipsum Platonicorum librorum corpus plenum et absolutum non videbatur, nisi perfectum horum numerum comprehenderet; quo nomine nullum magis quam triginta sex apud antiquos celebratum esse constat [103]); quem sive ex multiplicatione quaternarii et novenarii, primorum duorum quadratorum paris et imparis, sive ex quadratura senarii, primorum trium numerorum summae, sive ex ipsa octo primorum numerorum summa ortum cogitarent, semper ab omni parte absolutum inveniebant; quod si ne hoc quidem fortuito factum existimabant, quod Platonis vita unum et octoginta annos, novenarii numeri quadratum implevisset [104]), grammaticus mathematicis artibus deditus facile in eam opinionem incidere poterat, ut singulorum ejus librorum perfectionem simul universorum numero aequari debere arbitraretur. Atqui hoc constituto facile apparet, quomodo vel grammaticae dubitationes mathematicis rationibus cedere coactae sint; arreptis igitur, qui aliquam certe Platonicae indolis speciem gererent, locum post Alcibiadem primum simili ejus causa assignavit, qua modo Hippiam minorem cum Ione post Hippiam majorem positum esse vidimus, propter Alcibiadem alterum, quem cum priori jungi consentaneum esset. Mira sane ratio, Commilitones, quaque hodie vix quenquam usurum esse certum est; praestat tamen miram rationem investigare, quam eruditum hominem sine ulla ratione egisse statuere; cui si praeterea hoc accedit, ut et antiquitatis ingenio apta sit et cum nostrae aetatis inventis mutua quadem confirmatione contineatur, id certe juris sibi vindicabit, ut donec melior reperta sit, consistendi locum inter ceteras accipiat.

P. P. in Acad. Georgia Augusta m. Julio a. MDCCCLII.

---

103) Plut. procr. anim. c. 30: *ἡ μὲν οὖν ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν ὑμνουμένη τετρακτύς, τὰ ἓξ καὶ τριάκοντα, θαυμαστὸν ἔχειν δοκεῖ τὸ συγκεῖσθαι μὲν ἐκ πρώτων ἀρτίων τεσσάρων καὶ πρώτων περισσῶν τεσσάρων, γίνεσθαι δὲ συζυγία τετάρτη τῶν ἐφεξῆς συγκειμένων*: cf. Nicom. Harmon. II, p. 41: *ἡ δ᾽ οὖν πρώτη τετρακτὺς τρόπον τινὰ πασῶν ἐστὶ παρεκτικὴ τῶν κατὰ γένη διαιρέσεων, ἀποτελοῦσα, ὡς ἔφαμεν, τὸν λϛ ἀριθμὸν τῆς ἀπλανοῦς οἰκεῖον κ.τ.λ.* — 104) Vit. scr. Westerm. p. 395: *ἔζησε δὲ πα᾽ ἐνιαυτούς, καὶ διὰ τούτου δεικνύς, ὅτι Ἀπολλωνιακὸς ὢν τυγχάνει· ὁ γὰρ τῶν Μουσῶν ἀριθμὸς ἐφ᾽ ἑαυτὸν πολλαπλασιαζόμενος ἀπογεννᾷ τὸν πα᾽ ἀριθμὸν κ.τ.λ.*

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

G. CHR. FRIDERICUS LÜCKE, Dr., privatim *Epistolas S. Pauli ad Galatas* et *Romanos*, denique *Jacobi epistolam*, praemissis de vita scriptis ac doctrina Pauli apostoli quaestionibus, interpretabitur senis lectionibus hora IX-X. *Dogmaticam theologiam* docebit ad libri sui *Grundriss der evang. Dogm.* novam editionem senis lectionibus hora XI-XII. *Societatis theologicae exercitationes* tum exegeticas tum systematicas moderari perget consueto more die Mercur. hora VI-VIII.

JO. CAR. LUD. GIESELER, Dr., publice *Historiae ecclesiasticae partem tertiam* enarrabit quinis per hebd. horis h. V, item *recentissimam* enarrare perget d. Sat. h. XI; privatim *partem primam* tradet senis h. VIII, et *Historiam dogmatum* docebit quinis h. IV.

J. G. REICHE, Dr., h. IX-X senis per hebd. scholis *epistolas Pauli Apostoli ad Romanos et ad Corinthios* datas explicabit; h. XI-XII quinis scholis *Isagogen in libros N. T. historico-criticam* tradet; publice h. II-III diebus Lunae, Martis et Mercurii *epistolas pastorales* dictas, *ad Timotheum et Titum* datas, interpretabitur.

ERN. RUD. REDEPENNING, Dr., publice *Seminarii homiletici exercitationes* moderabitur die Sat. h. X-XII; *Introductionem in Theologiam dogmaticam* bis per hebd. dieb. Lunae et Jovis h. III tradet. Privatim *Pentateuchum* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X; *Theologiam moralem* exponet quinquies h. XI; *Theologiam practicam* quinquies h. II.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr., publice *Seminarii regii homiletici exercitationes* moderabitur die Saturni h. X-XII, item publice *Theologiae recentioris historiam* enarrare perget semel p. hebd. die Mercur. hora III-IV. Privatim *Theologiae practicae partem priorem* tradet i. e. doctrinam *de regimine ecclesiastico*, de *fidei christianae propagatione* et *artis catecheticae praecepta cum exercitationibus practicis* conjuncta, quater p. hebd. dieb. Lun., Mart., Jov. et Vener. hora III-IV.

* * *

FRID. GOD. RETTIG, Dr. ph., Princ. Gotting. Generalis-Superintendens, privatim hor. I. *praecepta artis catecheticae* (duce libello suo) quatt. lect. tradet; publice hor. I. die r. Merc. et Sat. *exercitationes catecheticas* moderari perget.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., privatim tradet *Institutiones juris romani* hora XI-XII; *Historiam juris romani* hora X-XI; doctrinam *de hereditatibus* hora IV-V.

GUILIELM. THEOD. KRAUT, Dr., *Jus publicum universale et germanicum* quinquies per hebdomadem h. XI-XII, *Jus ecclesiasticum* quater h. II-III, item quaternis scholis *Jus georgicum* (*Landwirthschaftsrecht*) tradet.

GUIL. FRANCKE D. h. IX-X et h. XI-XII doctrinam *Pandectarum* exponet.

H. A. ZACHARIAE, Dr., tradet *Encyclopaediam juris* hora II, quater per hebdom.; *Jus criminale*, sexies per hebd. hora III.

H. CAROL. BRIEGLEB, Dr., h. X-XI quater per hebd. *processum civilem summarium et creditorum concursum* tractabit, h. XI-XII quinquies per hebd. doctrinam *de processu civili ordinario* tradet.

AEMIL. HERRMANN, Dr., quater per hebd. h. XI. docebit *Processum criminalem*. Item quaternis lectionibus h. II. *Jus ecclesiasticum* exponet. Publice *Juris criminalis historiam* h. XI. bis per hebd. delineabit.

HENR. THÖl, Dr., quinquies hora VIII-IX. et IX-X. *Jus germanicum privatum cum jure feudorum* tradet.

ORDINIS MEDICORUM.

JO. GUIL. HENR. CONRADI, Dr., publice dieb. Mercur. hora V. *Isagogen in Clinicen* ex compendio suo Therapiae generalis, privatim hora V. *Pathologiam* et *Therapiam specialem* praecipuorum et communiorum morborum ex IV. compendii sui editione tradet, hora X. *Praxin medicam* in Nosocomio academico eique adjuncto Clinico ambulatorio docebit.

C. F. H. MARX, Dr., hora II-III. quater per hebd. *Pathologiam et Therapiam generalem*; hora IV-V. quinquies per hebd. doctrinam *de remediorum effectibus atque usu*, *nec non artem formulas medicas concinnandi* tradet.

ED. C. J. DE SIEBOLD, Dr., hora VIII. quat. p. h. *Artis obstetriciae* doctrinam exponet, simulque auditoribus aditum ad *Clinicen partusque observandos* praebebit. *Cursum operationum* cum observationibus gravidar. et observationibus parturientium conjunctum hora III. aliisque hor. commodis instituet. *Clinicen obstetr.* h. III. moderabitur. *Medicinam forensem* ter per hebd. hora IV. docebit.

JOH. FR. OSIANDER, Dr., tradet *Artis obstetriciae* doctrinum quaternis p. h. lectionib. h. IX.

F. WÖHLER, Dr., hora IX-X. sexies per hebd. *Chemiam* tradet. In laboratorio academico *Praxin chemicam* docebit.

A. A. BERTHOLD, Dr., *Physiologiam generalem et specialem cum Embryologia* ad compendium suum, „*Lehrbuch der Physiologie für Studirende und Aerzte.* 3te Aufl. Gött. 1844" hora X-XI. docebit et demonstrationibus microscopicis experimentisque illustrabit. *Anatomiam comparatam* h. XI-XII, *Entomologiam* h. II-III. tradet.

CONR. HENR. FUCHS, Dr., novies per hebdomadem, quinquies hora II-III, quater hora V-VI. p. m., *Nosologiae, Diagnostices et Therapiae specialis partem primam* tradet et hora XI. *Praxin medicam* sueto more docebit.

RUDOLPHUS WAGNER, Dr., publice die Saturni hora X-XI.: *Anatomiam comparatam* et *physiologiam organorum sensus*, privatim qua-

ter per hebd. hora X - XI: *priorem Physiologiae partem* i. e. *Anthropologiam*, *Physiologiam generalem* et *Embryologiam hominis* docebit. Privatissime *exercitationes practicas*, in instituto physiologico una cum Dre Schrader continuabit.

GUIL. BAUM, Dr., privatim *Chirurgiae partem alteram* tradet sexies per hebdomadem hora VI-VII; doctrinam *de operationibus chirurgicis* exponet quinquies hora IV-V; *exercitationes clinicas chirurgicas et ophthalmiatricas* in nosocomio chirurgico ophthalmiatrico Ernesto Augustano moderabitur quotidie h. IX.

JO. HENR. CHR. TREFURT, Dr., sexies per hebd. hora VIII-IX. *Artis obstetriciae doctrinam* tradet. *Cursum operationum obstetriciarum* hora IV-V. instituet. *Casuisticum obstetricium* die Lunae hora VI-VII. auditoribus, qui scholis vel theoreticis vel practicis interfuerunt, tamquam earum continuationem, publice offert.

A. GRISEBACH, Dr., hora V. diebus Lun., Mercur. et Ven. *Anatomiam* et *Physiologiam plantarum* tradet et microscopicis demonstrationibus in instituto physiologico die Saturni hora commoda exhibendis illustrabit; eadem hora V. dieb. Mart. et Jov. *Physiologiam agronomicam* exponet; hora IV. quater per hebd. *Historiam naturae universam* docebit.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

CHR. GUILIELMUS MITSCHERLICH *Apollonii Rhodii Argonautica* hora auditoribus commoda interpretabitur.

CAROLUS FRIDERICUS GAUSS hora X. *Methodum quadratorum minimorum ejusque usum in Astronomia, Geodaesia sublimiori, scientiaque naturali* explicabit; lectionibus privatissimis *Astronomiam practicam* docebit.

JO. FRID. LUD. HAUSMANN publice hora XI. die Saturni *Vulcanorum historiam et theoriam* exponet. Privatim hora X. quinquies per hebd. *Mineralogiam* ex secunda libri sui editione tradet.

G. C. J. ULRICH *Mathesin puram* h. III, *Calculum differentialem atque integralem* h. I, *Mathesin adplicatam* i. e. Mechanicam et Staticam corporum rigidorum h. IV. tradet. De *Architectura* et *machinis rei rusticae inservientibus* disseret h. VIII. In Seminario physico - mathematico selecta *Architecturae staticae* capita exponet die Mercurii h. I.

CAROLUS HOECK, hora IV-V, quinquies per hebdom. *Antiquitates romanas* tradet.

HENR. EWALD h. X. *Psalmos cum ceteris V. T. hymnis* senis lectionibus interpretabitur. Publice h. II. lectiones *arabicas* et *turcicas* continuabit, *armeniacas* quoque et *syriacas* inchoaturus.

GUILIELMUS WEBER hora II-IV. publice Seminarii physico-mathematici sodales instituendis *Observationibus physicis* exercebit; privatim *Physices experimentalis partem alteram*, h. e. doctrinam *de electricitate, magnetismo, calore et lumine*, dd. Lun. Mart. et Merc. docebit.

GEO. FRID. GUIL. MEYER tradet hora XI-XII. *Encyclopaediam rei saltuariae.*

F. TH. BARTLING d. Mercur. hora XI. *plantas in horti acad. hibernaculis cultas* publice demonstrabit; dieb. Lun. Mart. et Jov. hor. IV. *Organographiam* et *Physiologiam plantarum* docebit et demonstrationibus microscopicis d. Ven. hor. XI. illustrabit; quater per hebdom. hora I. *Vegetabilium cryptogamorum historiam* tradet. *Excursiones botanicas* solito more instituet.

HENRICUS RITTER *systema philosophiae practicae* quater per hebd. dieb. Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III-IV; *Encyclopaediam philosophiae* quinquies per hebd. h. V-VI. docebit.

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN publice Seminarii philologici sodalibus *Theocriti Idyllia* interpretanda proponet, dieb. Lun. et Martis h. XI; privatim *Historiam culturae Graecorum et Romanorum publicae et privatae* tradet senis scholis h. IX, *Platonis Rempublicam* explicabit quinis h. X; privatissime sed gratis in Instituto archaeologico de *intelligendis explicandisque artis antiquae monumentis* disseret die Sat. h. X, Seminarii paedagogici sodalibus *Institutionis scholasticae rationes* exponet ipsorumque *exercitationes* moderabitur diebus Merc. Jov. et Ven. h. XI.

G. HANSSEN privatim *Politiam oeconomiae nationalis* quater per hebd. h. III-IV. docebit. *Rem financiariam* quaternis lectionibus h. V-VI. privatim tractabit. Privatissime sed gratis *exercitationes camerales* moderabitur.

CAROL. OESTERLEY, Dr., lectionum suarum cursum semestri aestivo continuabit.

AUG. GUIL. BOHTZ, Dr., *Aestheticam* diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora III-IV. tradet; *Philosophiam religionis* eisd. dieb. h. VIII-IX. docebit.

F. G. SCHNEIDEWIN, Dr., publice sodalibus Seminarii Regii Philologici *Lucretii* libr. II. explicandum proponet, diebus Jovis et Ven. hora XI. Privatim *Demosthenis orationem de corona* quater hora VIII, *Aristophanis Nubes*, praemissa historia poesis Graecorum comicae, quater h. II. interpretabitur; *latine scribendi exercitationes* instituet bis h. VIII. Privatissime *societatis philologicae studia* moderari perget.

ERNESTUS LUDOVICUS A LEUTSCH, Dr. phil., publice *disputationes* sodalium Seminarii Regii philologici moderabitur die Mercurii hora XI-XII. — Privatim *Pindari Carmina* interpretabitur, quinquies p. hebd. h. III-IV; *Historiam poeseos Latinae* enarrabit quater p. hebd. h. IV-V. *T. Livi orationes* explicabit quater p. hebd. h. X-XI.

GUIL. HAVEMANN, Dr., hora III. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris *Historiam praecipuorum Europae regnorum inde a saeculo sexto decimo usque ad tempora nostra* leget; hora XI-XII. iisdem diebus *Historiam brunsvico-luneburgensem* tradet.

G. WAITZ, Dr., quater h. VIII-IX. *Politicen* tradet, quinis scholis h. IV-V. *Historiam germanicam* enarrabit. Semel publice *exercitationes historicas* instituet.

E. BERTHEAU *Genesin et selecta capita e reliquis Pentateuchi libris* interpretabitur quinquies h. X-XI. *Historiam et antiquitates sacras populi Israelitici* enarrabit quinquies h. II-III. Publice binis lectionibus h. I-II. linguam *aramaeam* docebit.

RUD. HERMANNUS LOTZE, Dr., quatt. dd. hora IV-V. *artem logicam* docebit; quatt. dd. hora V-VI. de *Psychologia et de morbis psychicis* aget; quatt. dd. hora VIII-IX. *naturalis philosophiae* principia explicabit.

W. SARTORIUS DE WALTERSHAUSEN, Dr., *Geologiam* quinquies per hebd. hora XI-XII. tradet. *Exercitationes practicas ad mineralogiam, crystallographiam et topographiam spectantes* dieb. Jov. et Saturni h. II-IV. instituet.

JOANNES BENEDICTUS LISTING quater p. h. h. II. *Opticen tam physicam quam physiologicam* tradet; diebus Merc. et Sat. h. II. *Meteorologiam et Climatologiam* exponet; lectionibus privatissimis *Mechanicen applicatam* docebit; *Exercitationes physicas* in seminario mathematico-physico regere perget.

RECITATIONES EXTRAORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. LUDOVICUS DUNCKER, Dr., publice *Historiam ecclesiasticam recentiorem recentissimamque* enarrare perget d. Sat. h. X-XI; privatim *Historiae ecclesiasticae partem secundam* tradet sexies p. hebd. h. VIII-IX. *Societatem theologicam* sueto more moderari perget.

G. C. R. MATTHAEI, Dr., *tria priora evangelia* interpretabitur hora IX. sexies p. hebd.

GEORG. CONR. AMADEUS LÜNEMANN, Dr. ph., privatim *epistolas Pauli ad Colossenses, Ephesios, Philemonem et Philippenses* interpretabitur quinis p. h. lectionibus h. II-III.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

C. W. WOLFF, Dr., *Jus germanicum privatum cum feudorum et mercaturae jure* adjunctis practicis exercitationibus senis p. h. diebus h. VIII-X. tradet; Collegium quod *Processuale practicum* vocant quinquies p. h. hora IV-V, *Relatorium* diebus Lunae, Martis et Jovis hora V-VI. instituet.

O. E. HARTMANN, Dr., hora X-XI. sexies per hebd. *Historiam juris romani* tradet; quaternis scholis diebus Martis et Veneris h. IV-V. et V-VI. collegium *processuale practicum*, ter per hebd. diebus Lunae, Mercurii et Jovis hora IV-V. *relatorium* instituet; publice diebus Lunae et Jovis hora II-III. *Historiam processus civilis romani* explicabit.

ORDINIS MEDICORUM.

ERN. AUG. GUIL. HIMLY, Dr., postquam ex morbo convaluerit lectiones suas indicabit.

E. F. G. HERBST, Dr., *Physiologiam*, demonstrationibus microscopicis et experimentis illustratam, sexies p. h. hora VIII. docebit; *Pathologiam et Therapiam generalem* quater p. h. hora IV. tradet et experimentorum ope illustrabit.

C. BERGMANN h. XI-XII, diebb. Lunae, Merc. et Veneris, *Osteologiam et Syndesmologiam* tradet.

KRAEMER, Dr., horis auditoribus commodis docebit: quater per hebd. *Auscultationem et Percussionem* adjunctis exercitationibus practicis, ter per hebd. doctrinam *de fasciis vincturisque chirurgicis*. Praeterea privatissime *cursus practicos de Auscultatione et Percussione* instituet, et *exercitationes microscopicas* moderari perget.

AUGUSTUS FOERSTER, Dr., tradet *tumorum structuram et diagnosin*, bis per hebd. hora III-IV. *Exercitationes microscopicas* anatomico-pathologicas moderabitur.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

JO. FR. CESAR *Historiam litterarum apud Francogallos* tradet quater p. h. hora audituris commoda; scholasque duas *gallice loquendi et scribendi* quinis diebus, alteram hora V. alteram h. VI., solito more habebit. *Privatissimas scholas* continuabit; nec non exercitationes practicas privatissime habendas in *arte gallice scribendi acta diplomatica* (*diplom. Styl*) offert.

HENR. FERD. WÜSTENFELD, Dr., publice horis commodis *elementa linguae arabicae* exponet.

FRIDERICUS WIESELER, Dr., publice *Instituti archaeologici sodalibus selecta artis antiquae monumenta explicanda* proponet, d. Saturni h. XI-XII; privatim *Symbolicen et Mythologiam Graecorum et Romanorum* explicabit, quinis vel senis scholis, h. III-IV, *Isagogen in Aeschyli tragoedias* tradet et *Agamemnonem* interpretabitur, quaternis vel quinis scholis, h. IV-V; privatissime *Societatis* philologicae studia regere perget.

J. E. WAPPÄUS, Dr., privatim *Geographiam et Statisticam Americae* quater per hebd. h. XI-XII. publice tradet, *Statisticae generalis partem, quae de incrementis et rationibus multitudinis hominum in civitatibus aget* (*Bevölkerungsstatistik*) d. Sat. h. XI-XII.

GUIL. MÜLLER, Dr., *selecta veteris Germanorum poeseos specimina* explicabit (duce libro a *Guil. Wackernagel edito: altdeutsches Lesebuch*) dd. Mart., Merc. et Ven. h. I; *historiam literarum elegantiorum apud Germanos* narrabit quinis scholis h. III; *societatis theotiscae* studia regere perget.

THEODORUS BENFEY h. I-II. diebb. Lun., Mart. et Ven. publice *Grammaticam linguae Sanscritae* docebit (suam *Vollständige Grammatik der Sanskritsprache, Leipz. 1852* sequens). — Privatim h. I-II. diebb. Jov. et Ven. *carmina Sanscritica* interpretabitur; — h. II-III. diebb. Lun. et Jov. qua ratione *radices linguarum indogermanicarum* eruendae sint, exponet.

M. A. STERN tradet *Analysin et geometriae analyticae rudimenta* quinq. p. h. hora X; *Resolutionem aequationum numericarum* quater p. h. hora XI. In seminario physico-mathematico *exercitationes mathematicas* moderabitur.

H. A. L. WIGGERS, Dr., *Pharmaciae partem alteram* tradet horis Audit. commodis. Privatas scholas de *Chemia theoretica, Stoechiometria, Pharmacia* ceterisque Chemiae partibus sueto more offert.

FRID. GRIEPENKERL, Dr., ter per hebd. diebus Lun., Mercur. et Ven. h. II-III. *Technologiam oeconomicam* et quinquies per hebd. diebus Lun., Mart., Mercur., Jov. et Ven. h. IV-V. *secundam Theoriae oeconomicae partem* docebit. *Excursiones* ad Theoriam illustrandam spectantes instituet.

G. STAEDELER, Dr., *Zoochemiam* ter p. hebd. dieb. Lunae, Martis et Mercurii hora VIII-IX. tradet. *Exercitationes chemicas practicas cum medicinae studiosis* dieb. Jovis, Veneris et Saturni horis VIII-X, *cum agriculturae studiosis* hor. II-IV. vel aliis commodis instituet.

* * *

FRID. CAROL. LAPPE, Dr., Instituti Reg. veterinarii Director, tradet hora XI-XII, atque I-II. *Anatomiam et Physiologiam animalium domesticorum rei rusticae inservientium* quinquies per hebd.; hora II-III. *Pathologiam generalem* animalium domesticorum quater p. h.; hora X-XI. *Exercitationes clinicas* instituet.

W. HAVEMANN, rei equestris Magister, tam tirones quam provectiores *equis regendis* exercebit diebus Lunae Mercurii Jovis et Saturni horis VIII-XII. et II-IV.

* * *

ARN. WEHNER, Mus. Dir., *Harmonicen musicaeque artis theoriam et aestheticam* additis exercitationibus practicis, horis postmeridianis commodis docebit. Praeterea operam suam jam exercitatis offert ad *artem clavicymbali* accuratius discendam, neque omittit ad *Societatem symphoniacam* die Martis horis VI-VIII. vespert. et ad societatem, quae *Orchesterspielverein* vocatur, invitare.

H. M. MELFORD, Dr., privatim *Grammaticam linguae anglicae* tradet adjunctis exercitationibus practicis sexies per hebd. hora VI-VII. vesp. e libris suis, „*Vereinfachte Engl. Sprachlehre, 1841; The English Reader, Ed. IV. 1851*; et *Goldsmith's dram. Works* (ex ed. sua 1846)"; *in anglice, gallice, ital. et hispan. scribendo et loquendo* quater p. hebd.

hora VII-VIII. vesp., e libris suis: *Phraseol. Handwörterb. der Engl. Zeit-, Haupt- und Eigenschaftswörter in Verbindung mit ihren angemessenen Vorwörtern, 1852*; *Manuel de la langue française*; *Handb. der Ital. Umgangsprache* II. Ed. 1845; *Span. Bühnenstücke*; *Hist. litteraturae anglicae quinquaginta ultimorum abhinc annorum* nec non *Th. Moore's Lyrical Beauties* (ex ed. s. 1845.), *Byron's Mazeppa* (ex ed. s.) et *Byron's Sardanapalus* (ex ed. s. 1848.) exponet ternis p. hebd. lect. hora II-III; *Synonymiam linguae anglicae adj. exercitat. practicis* explanabit duce libro suo: *Synonym. Handwörterb. der Engl. Sprache 1841.* ter hora VIII.IX. mat. v. h. a. m. commoda. Praeterea privatissime linguas *anglicam, francogallicam, italicam et hispanicam* docebit e libris suis. *Exercitationes scribendi et loquendi* continuabit.

RECITATIONES PRIVATIM DOCENTIUM.

ORDINIS THEOLOGORUM.

FRIDERICUS AUGUSTUS HOLZHAUSEN, Phil. Dr. ac Theol. Lic., tradet: *Historiae ecclesiasticae universalis partem posteriorem, a Viclefo usque ad nostra tempora*, h. VIII; *Theologiam biblicam* h. XI; *Grammaticam hebraicam, adjuncta interpretatione selectorum locorum Pentateuchi*, h. III; *Historiam dogmatum* h. IV. *Privatissima* offert.

A. GUIL. DIECKHOFF, Lic. theol., privatim *theologiam symbolicam* seu *dogmaticam comparativam* quaternis per hebdom. lectionibus hora II-III. tradet. Privatissime sed gratis studia eorum moderari perget, qui *in libris symbolicis interpretandis* exerceri velint.

JOANNES GERARDUS GUILIELMUS UHLHORN privatim *Isagogen in Novum Testamentum* diebb. Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora II-III. docebit, publice *argumenta religionis christianae* cujusvis ordinis auditoribus accommodata diebb. Merc. et Sat. h. VIII-IX. exponet.

E COLLEGIO REPETENTIUM.

HERM. MESSNER *Vaticinia Messiana Veter. Test.* bis per hebd. dieb. Lun. et Mart. hora II-III. gratis interpretabitur.

ERNESTUS ELSTER *epistolas S. Pauli ad Colossenses et ad Ephesios* binis per hebdom. scholis diebus Jov. et Ven. hora II-III. gratis interpretabitur.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

C. FRID. ROTHAMEL, Dr., *Jus ecclesiasticum* hora II. tradet; *Pandectas* privatissime docebit; *Examinatoria generalia et specialia* more sueto instituet.

F. B. GREFE, Dr., tradet *theoriam processus civilis* quinquies per hebd. hora I-II.

E. F. ROESSLER, Dr., privatim quater per hebdom. hora II-III. *Historiam juris germanici*; binis *Historiam juris et processus criminagermanici* tradet. — Insuper hora apta gratis tractabit de *fontibus juris germanici* adjunctis exercitationibus exegeticis.

CAROL. BERN. HIERON. ESMARCH, Dr., privatim *Historiam juris Romani* quinquies per hebd. hora X. enarrabit; *Romanam de jure hereditario doctrinam* ter per hebd. hora III. exponet; collegium quod *Civile practicum* dicitur, ter per hebd. hora V. instituet. Pandectas aliasve juris disciplinas repetere cupientibus non deerit.

HILDEBR. BODEMEYER, Dr., tradet quinquies per hebdomadem *doctrinam juris romani de hereditatibus*, h. X-XI, *Historiam juris romani* hora IX-X; gratis tractabit partem generalem *juris obligationum* binis scholis hora II-III.

RUDOLPHUS ELVERS, Dr., privatim interpretabitur interpretandasque proponet *selectas Digestorum leges* ternis per hebd. diebus h. V-VI. Repetitoria *de omnibus juris partibus* offert.

ORDINIS MEDICORUM.

CH. F. E. STROMEYER, Dr., privatissime *singulas Chemiae theoreticae partes nec non Pharmaciam* docebit.

R. WIESE, Dr., *theoriam auscultationis et percussionis* quater per hebdomadem (hora IV-V. vel aliis horis magis commodis) exponet cursusque exercitationum adjunget practicarum. *Materiam medicam* quater per hebd. hora III-IV. tradet experimentisque illustrabit.

BERNARDUS SCHUCHARDT, Dr., h. III. *Pathologiam et Therapiam generalem* quinquies per hebd. docebit; hora IV. *Materiam medicam et Toxicologiam cum arte formulas medicinales conscribendi* quinquies p. h. demonstrabit; gratis sed privatissime h. XI. ter p. h. *Physiologiam et Pathologiam organorum respirationis et circulationis, quoad thoracem occupant*, tradet et demonstrationibus practicis exponet.

C. F. LOHMEYER, Dr., *Physiologiam, pathologiam et therapiam oculorum* hora V-VI. quinquies per hebd. tradet. Iis, qui fortasse in *operationibus ophthalmicis* privatissime exerceri cupierint, horis commodis vacabit.

ADOLPHUS WACHSMUTH, Dr., tradet *Pathologiam generalem* quater per hebd.; binis lectionibus *Diagnosticen physicam*, exercitationibus practicis illustratam, gratis docebit. Praeterea repetitoria offert.

L. A. SCHRADER, Dr., *Physiologiam pathologicam* (*Pathologiam generalem*) experimentis et demonstrationibus microscopico-chemicis illustratam atque *Therapiam generalem* quinquies per hebd. hora II-III. vel alia hor. commod. in instituto physiologico tradet. *Diagnosticen chemi-*

cam et microscopicam ut propaedeuticen ad praxin medicam ter per hebd. hora matut. VIII-IX. docebit. *Morbos ventriculi* ceterique tractus intestinorum semel per hebd. publice exponet.

RUDOLPHUS GIESELER, Dr., tradet *Ophthalmologiam* privat. et capita selecta *Materiae medicae* publice horis commodis.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

THEODORUS MÜLLER, Dr., Ord. Philos. Assessor, privatim *Shakespearii Hamletum* interpretabitur, diebb. Lun. et Jov. hora II-III; *Literarum elegantiorum apud Anglos historiam* tradet, quater p. h. h. III-IV; *Grammaticam linguae anglicae* docebit, *adjunctis exercitationibus practicis* quater p. h. hora VI-VII. Lectiones privatissimas offert in linguis anglica, francogallica, italica, hispanica.

JUL. TITTMANN, Dr., Ord. Phil. Assessor, *Aestheticam* tradet IV. scholis h. II. *Artis pingendi theoriam* publice docebit dieb. Mart. et Veneris h. XI.

GUILIELMUS SEELIG, Dr., Ord. Philos. Assessor, tradet *Oeconomiam nationalem* diebb. Lun., Mart., Jov. et Ven. hora II; idem *de politia agraria* die Jov. hora I. gratis disseret.

LUDOVICUS LANGE, Dr., Ord. Philos. Assessor, privatim *Antiquitates Romanorum publicas* enarrabit quinquies per hebdomadem h. IV; privatissime sed gratis *elementa grammaticae linguae Sanscritae* binis lectionibus docebit hora audituris commoda.

CHR. FOCKE, Dr., de variis *Matheseos purae et practicae* partibus scholas habebit horis diebusque commodis.

ALB. LION, Dr., h. XI-XII. *Plutarchi* vitas selectas, h. I-II. *Ciceronis* libb. de Officiis interpretabitur. Privatissime linguas vett. et recentt. docebit.

ANDREAS THOSPANN, Dr., perget sueto more *explicare partes quasdam e Vita Henrici Leonis* quinquies per hebd. h. audituris commoda.

S. LANTZIUS-BENINGA, Dr., *Physiologiam et Organographiam plantarum* observationibus microscopicis illustratam docebit dieb. Lun., Mart. et Mercur. hora mat. VIII-IX. et die Ven. hora I-II. vel aliis horis commodis; *Plantarum cryptogamicarum historiam* adjunctis demonstrationibus microscopicis et excursionibus botanicis tradet die Lun. hora I-II. et dieb. Jov., Ven. et Sat. hora mat. VIII-IX. vel aliis horis commodis. Privatissimas scholas de *re botanica theoretica l. applicata* offert.

TH. WÜSTENFELD, *Historiam Italiae et Germaniae sub imperatoribus stirpis Hohenstauficae* bis per hebdom. hora X-XI. die Merc. et Saturn. gratis tradet.

G. QUINTUS ICILIUS, Dr. ph., *Doctrinam de calore* quater per hebdomadem hora XI. tradet, *Meteorologiam* gratis diebus Mercur. et Saturni hora eadem. Privatissime sed gratis *Exercitationes instituendi et computandi observationes meteorologicas* moderabitur.

TH. FINCK, Dr., gratis *Historiam Germanicam* — äussere und innere — continuabit, hora diebusque e tabulis publicis indicendis. Privatissime *Historiam Humani Civilisque Cultus Antiquam et Antiquitates Romanas* quum Privatas tum Publicas tradet.

H. LIMPRICHT, Dr., in laboratorio academico XXIV. horis per hebd. *Praxin chemicam* docebit; hora V-VI. quater per hebd. *Pharmaciam*, et ter per hebd. *Chemiam analyticam* tradet.

* * *

Musicam delineandique artem, nec non cultissimorum Europae populorum *linguas ac literas* tradent etiam alii viri intelligentes doctique, iique lectionum suarum rationem tempusque loco solito indicabunt. *Saltationem armorumque tractandorum artem* stipendiis regiis auctorati Magistri docent.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DESCRIPTAE:

Hora:	THEOLOGICAE.	JURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
8–9	Hist. eccles. P. I. (6) *Gieseler*. Hist. eccles. P. II. (6) *Duncker* et et *Holzhausen*. Argum. relig. Christ. (2) *Uhlhorn*.	Jus germanicum (5) *Thöl* et (6) *Wolff*.	Art. obstetr. (4) *Siebold* et (6) *Trefurt*. Physiologiam (6) *Herbst*. Diagnost. chem. (3) *Schrader*.	Architect. rust. *Ulrich*. Philos. relig. (4) *Bohtz*. Demosth. pro Cor. (4) et lat. scrib. exerc. (2) *Schneidewin*. Politicen (4) *Waitz*. Philos. nat. (4) *Lotze*. Zoochemiam (3) et Exerc. chem. (3) *Städeler*. Synon. angl. (3) *Melford*. Physiol. et organogr. plant. (3) et Cryptogam. (3) *Lantzius-Beninga*.
9–10	Epist. ad Galat. et Roman. c. Jacobi epist. (6) *Lücke*. Ep. ad Rom. et Cor. (6) *Reiche*. Evang. tria priora (6) *Matthäi*.	Pandectas (6) *Francke*. Jus german. (6) *Thöl* et (6) *Wolff*. Histor. jur. rom. (6) *Bodemeyer*.	Art. obstetr. (4) *Osiander*. Chemiam (6) *Wöhler*. Clin. chirurg. (6) *Baum*.	Hist. cult. Graec. et Roman. (6) *Hermann*.
10–11	Pentateuchum (5) *Redepenning*. Semin. homil. (1) *Redepenning* et *Ehrenfeuchter*. Histor. eccl. recent. (1) *Duncker*.	Hist. jur. rom. (6) *Ribbentrop, Hartmann, Esmarch*, Process. summar. et concurs. (4) *Briegleb*. Hered. jur. doctr. (5) *Bodemeyer*.	Praxin medicam *Conradi*. Physiologiam *Berthold* et *Wagner*. Exerc. clin. veter. *Lappe*.	Meth. quadr. min. *Gauss*. Mineralogiam (5) *Hausmann*. Psalmos (6) *Ewald*. Plat. Remp. (5) et Art. antiqu. intell. (1) *Hermann*. Livi orat. (4) *Leutsch*. Genesin (5) *Bertheau*. Analysin (5) *Stern*. Hist. Hohenstauf. (2) *Wüstenfeld*.
11–12	Dogmatic. (6) *Lücke*. Histor. eccl. recent. (1) *Gieseler*. Isagog. N. Test. (5) *Reiche*. Theol. moral. (5) *Redepenning*. Seminar. homil. (1) *Redepenning* et *Ehrenfeuchter*. Theol. biblicam *Holzhausen*.	Inst. jur. rom. (6) *Ribbentrop*. Jus publicum (5) *Kraut*. Pandectas (6) *Francke*. Process. civilem (5) *Briegleb*. Proc. crim. (4) et jur. crimin. hist. (2) *Herrmann*.	Anatom. compar. *Berthold*. Praxin medicam *Fuchs*. Osteol. et Syndesmol. (3) *Bergmann*. Anat. anim. domest. (5) *Lappe*. Organ. respir. et circul. (3) *Schuchardt*.	Vulcan. (1) *Hausmann*. Encycl. rei saltuar. *Meyer*. Demonstr. botan. *Bartling*. Sem. philol. (5) *Hermann, Schneidewin, Leutsch*. Sem. paedag. (3) *Hermann*. Hist. Brunsv. et Luneb. (4) *Havemann*. Geologiam (5) *Waltershausen*. Art. antiqu. mon. (1) *Wieseler*. Statist. gen. (1) et Americae (4) *Wappäus*. Aequat. num. resol. (4) *Stern*. Art. ping. theor. (2) *Tittmann*. Plut. Vit. *Lion*. Calor. (4) et Meteorol. (2) *Quintus-Icilius*.
1–2	Catechet. praec. (4) et exerc. (2) *Rettig*.	Theor. proc. civil. (5) *Grefe*.	Anat. anim. domest. (5) *Lappe*.	Calc. diff. (4) et Archit. stat. (1) *Ulrich*. Cryptogam. (4) *Bartling*. Botan. exerc. (2) *Lantzius-Beninga*. Arab. (2) *Bertheau*. Poes. germ. spec. (3) *W. Müller*. Sanscr. gramm. (3) et carm. (2) *Benfey*. Polit. agrar. (1) *Seelig*. Cic. off. *Lion*.
2–3	Epist. pastor. (3) *Reiche*. Theol. pract. (5) *Redepenning*. Pauli epist. minor. (5) *Lünemann*. Theol. symbol. (4) *Dieckhoff*. Isagogen. N. T. (4) *Uhlhorn*. Vatic. Messiana (2) *Messner*. Epist. Coloss. et Eph. (2) *Elster*.	Jus eccles. (4) *Kraut*, *Herrmann*, *Rothamel*. Encycl. jur. (4) *Zachariae*. Hist. proc. civ. Rom. (2) *Hartmann*. Hist. jur. germ. (4) et proc. crim. germ. (2) *Roessler*. Juris oblig. part. gener. (2) *Bodemeyer*.	Pathol. et Therap. gen. (4) *Marx*. Entomologiam *Berthold*. Nosol. et Terap. spec. P. I. (5) *Fuchs*. Pathol. gen. anim. domest. (4) *Lappe*. Physiol. pathol. et therap. gen. (5) *Schrader*.	Arab. et Turc. *Ewald*. Physic. exp. P. II (3) et observ. phys. *Weber*. Aristoph. Nub. (4) *Schneidewin*. Histor. Israel. (5) *Bertheau*. Exerc. miner. (2) *Waltershausen*. Opticen (4) et Meteor. (2) *Listing*. Lingu. indogerm. rad. (2) *Benfey*. Technol. oeconom. (3) *Griepenkerl*. Exerc. chem. agric. *Städeler*. Byron (3) *Melford*. Shakesp. Hamlet. (2) *Th. Müller*. Aestheticam (4) *Tittmann*. Oecon. nation. (4) *Seelig*.

Hora:	THEOLOGICAE.	JURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
3–4	Introd. dogmat. (2) *Redepenning*. Theol. pract. P. I (4) et hist. recent. (1) *Ehrenfeuchter*. Gramm. hebraic. *Holzhausen*.	Jus crimin. (6) *Zachariae*. Jus hered. Rom. (3) *Esmarch*.	Oper. et clin. obstetr. (6) *Siebold*. Tumor. struct. (2) *Förster*. Mater. medic. (4) *Wiese*. Pathol. et Therap. gen. (5) *Schuchardt*.	Math. puram *Ulrich*. Phys. exper. P. II. (3) et Observ. phys. *Weber*. Philos. pract. (4) *Ritter*. Polit. oecon. (4) *Hanssen*. Aestheticam (4) *Bohtz*. Pindar. (5) *Leutsch*. Hist. Europ. regn. (4) *Havemann*. Exerc. miner. (2) *Waltershausen*. Symbol. et Mythol. (5) *Wieseler*. Hist. liter. germ. (4) *W. Müller*. Hist. liter. angl. (4) *Th. Müller*.
4–5	Hist. dogmatum (5) *Gieseler* et *Holzhausen*.	Hered. jur. doctr. (5) *Ribbentrop*. Process. practicum (5) *Wolff*. Relatorium (3) et Process. practic. (2) *Hartmann*.	Remed. effect. (5) *Marx*. Med. forens. (3) *Siebold*. Oper. chirurg. (5) *Baum*. Oper. obstet. *Trefurt*. Hist. natur. univ. (4) *Grisebach*. Pathol. et Therap. gen. (4) *Herbst*. Ausc. et Perc. (4) *Wiese*. Mater. medic. (5) *Schuchardt*.	Mathesin appl. *Ulrich*. Antiqu. rom. (5) *Hoeck* et *Lange*. Organogr. et Physiol. plant. (3) *Bartling*. Hist. poes. lat. (4) *Leutsch*. Hist. German. (5) *Waitz*. Logicam (4) *Lotze*. Aeschyl. Agamemn. (4) *Wieseler*. Theor. oecon. P. II. (5) *Griepenkerl*.
5–6	Histor. eccl. P. III. (5) *Gieseler*.	Relatorium (3) *Wolff*. Process. practicum (2) *Hartmann*. Civile practicum (3) *Esmarch*. Digest. interpr. (3) *Elvers*.	Pathol. et Therap. spec. (5) et Isag. clin. (1) *Conradi*. Nosol. et Therap. spec. P. I. (4) *Fuchs*. Anat. et Physiol. agronom. (2) *Grisebach*. Oculor. phys. et therap. (5) *Lohmeyer*.	Encycl. philos. (5) *Ritter*. Rem financ. (4) *Hanssen*. Psychologiam (4) *Lotze*. Schol. gall. *César*. Pharmaciam (4) et Chem. analyt. (2) *Limpricht*.
6–7	Soc. theol. (1) *Lücke*.		Chirurg. P. II (6) *Baum*. Casuist. obstetr. (1) *Trefurt*.	Schol. gall. (5) *César*. Soc. symphon. (1) *Wehner*. Gramm. angl. *Melford* et *Th. Müller*.
Hora nota vel post indicanda.	Soc. theol. *Duncker*. Libr. symbol. interpr. *Dieckhoff*. Privatissima *Holzhausen*.	Jus georgic. (4) *Kraut*. Pandectas et Examin. *Rothamel*. Font. jur. germ. *Rössler*. Repetitoria *Esmarch* et *Elvers*.	Praxin chemicam *Wöhler*. Exerc. physiol. *Wagner*. Ausc. et Perc. (4) et Fasc. vinct. chir. (3) *Krämer*. Exerc. microscop. *Förster*. Chemiam et Pharmac. *Stromeyer*. Pathol. (4) et Diagnost. (2) *Wachsmuth*. Morb. ventr. *Schrader*. Ophthalmol. et Mater. medic. *Gieseler*.	Apoll. Rhod. Argon. *Mitscherlich*. Astron. pract. *Gauss*. Exerc. camer. *Hanssen*. Societat. philol. *Schneidewin* et *Wieseler*. Math. appl. et Exerc. phys. *Listing*. Hist. liter. gall. *César*. Elem. arab. *Wüstenfeld*. Societ. theotisc. *W. Müller*. Pharmaciam *Wiggers*. Harmon. *Wehner*. Sanscrit. elem. *Lange*. Mathes. *Focke*. Henr. L. *Thospann*. Histor. Germ., Hist. cult. antiqu., Antiqu. rom. *Finck*. Privatissima *Lion*.


3 0112 115883008